DOMUS SADICA.

REGIIS LINEIS FIRMATA;

Romanis Columnis nixa;

SADICIS

HEROIBUS ILLUSTRATA.

LONDINI,
Typis *Guilielmi Du-Gard*; Concilii Statûs Typographi. *An. Dom.* 1653.

DOMUS SADICA:

AUTORE

P. Fratre Francisco à Sancto Augustino *MACEDO*, Ordinis Sancti Franciſci, Obſervantis, Provinciæ Portugalliæ, Luſitano, Conimbricenſi, Magiſtro Artium, & Theologiæ Profeſſore olim in Academia Olyſiponenſi, & Conimbricenſi, Eloquentiæ Primario Magiſtro, & poſtea in nova à Rege Philippo IV Magno Madriti inſtitutâ, in Imperiali Collegio, Univerſitate, Rhetorices, & Poëſeos & Chronologiæ Præceptore, Reginæ Annæ Matris & Ludovici XIV Filii Regum Chriſtianiſſimorum Concionatore & Conſiliario, Sereniſſimi Regis Joannis IV Hiſtoriographo Latino.

Illuſtriſsimo D.D. Joanni Maſcaregnas Comiti Torrenſi,

à Conſiliis Regiæ Majeſtatis, Ordinis Chriſti Militari Equiti, & Commendarum S. Nicolaï Carrazedi, Fontis Arcadii, & Roſmanignalii Commendatario, Oppidorum Cucolini & Verodæ apud Indos

DOMINO.

QUem (Illuſtriſsime Comes!) Tibi librum dedico; is à me primùm Illuſtriſsimo D. Franciſco Sâ Meneſio, Comiti Penaguiano IV. & SADICÆ Domûs hæredi futuro, Prætextato adhuc in tenera ætatula Puero, dicari cœperat; iis certè nominibus, quæ idonea tum, & niſi Tu poſtea occurriſſes, juſtiſsima

ſtißima videbantur. Hujuſmodi autem ferme erant. More Romano, clarißimorum Gentis ſuæ Virorum imagines ei coràm proponere, non mutas & inanimatas, ſed literatas ac vivas, quas non oculis corporis, ſed mentis aſpiceret, quarum conſpectus eum ad omnem, quam ſpirabant, virtutem, accenderet. Spem faciebam doctrinæ, quod ea per imagines tradenda, quarum eſſet cùm aſpectus jucundior, tum imitatio facilior; quæque utile dulci *condirent. Felicitatem expendebam, quòd eos habuiſſet Majores, qui in Domum omnis virtutis exempla induxerant, ut nihil extra quærendum eſſet, imò eſſet plurimum externis ſuppeditandum. Monebam prætextatam ætatem prætextui ei eſſe non poſſe ad illa monumenta negligenda, cùm olim ſummi Principes* per ſcuta reptârint; *ac* Regum ferocibus ſe exuviis delectârint: *Quare illud Claudiani ingerebam,*

Illa Puer Tibi luſus erunt.—

& ſuggerebam ex Virgilio,

— Hæc

DEDICATORIA.

——— Hæc cernere facta
Aſſueſce, primis atque hæc mirare ſub annis:
Tutum ei à Majoribus quaſi manu duci, decorum ſequi eos
———non paſsibus æquis.

Ex Horatio id paulùm immutatum afferebam,
Hac arte Pollux, hac vagus Hercules,
Hac Cæſar artes attigit igneas.
ſtimulum addebam loco Tullii: Brutos ego impellerem? *quos imago ipſa Magni Bruti ad magna impelleret; perinde ac imagines aculeos infigerent, & incitarent. Delicatum ei eſſe ingenium, ceream indolem. Facile accepturum redditurúmque exempla. Haud longâ opus lectione: uſurum compendio: uno aſpectu complexurum cuncta ad omnem virtutem documenta. Si evolveret ſeriem Genealogiæ ſuæ: ſi dotes ſupputaret, perfectionis ſummam confecturum: Si ſeligere quoſdam vellet, quos exprimeret, intueretur* Joannes & Franciſcos, *qui eminerent. Quod ſi ex uno, ac proximè mallet diſcere, unum eſſe* Patrem Joannem, *ex quo* omnes diſceret,

ret. *Æneam fatìs fuisse Ascanio, ad stimulum, ad exemplum. Imò non abunde, nisi Hector accederet.*

Et Pater Æneas & Avunculus excitet Hector.

Joannem ei Patrem solum satìs fore ad omnia, tum literaria, tum bellica, tum Aulica ornamenta colligenda. In omni (ejus exemplo) fortunâ, utramque Paginam facturum. Iret porrò, & librum tot imaginibus plenum, instar Æneæ Clypei, attolleret, & imponeret humero; nisi quòd ille sustulit

——Famámque & Fata Nepotum.

eum sublaturum

——Famámque & Fata Parentum.

Hæc erat (Illustrissime Comes!) summa Epistolæ. Sed cùm vidissem causam componendi libri à Te incepisse; ac unde cœperat, eò omnino debere redire, mutavi sententiam, ac juri satìs, quàm studio facere malui: cùm præsertim Patrono indigeret opus, quo Te nemo sanè aut

gratio-

gratioſior erit ad captandam benevolentiam, aut potentior ad propulſandam invidiam. Conſtat enim, cùm Tibi ineundum eſſet felix cum Dom. Dom. Magdalena Caſtria Sadicæ Gentis Comitis Joannis Cubiliarchi ſorore matrimonium; eſſetq; ex neceſſitudine impedimentum contractum, Pontificiâ Poteſtate tollendum, quod hæc expreſſa iis verbis erat, quæ in Regii ſanguinis perſonas quadraret, idque obſervatum Religionem incuſſerat, oportuiſſe oſtendere clauſulam illam Regio ſanguini aſſignari ſolitam, hoc in conjugio locum habere debuiſſe. Et quanquam id in Illuſtriſſimæ tantùm Uxoris Tuæ Familia indicatis fontibus præſtitum ſit, ad Te jam nunc Uxorio jure pertinet, quo ego nomine Patronum Te Libri hujus adoptandum eſſe exiſtimavi: nec tu interim officio deeris quod ſæpe Viri Principes præſtiterunt. Tempus erit, cùm de Heroïbus Illuſtriſſimæ Domûs Tuæ liber inſtituatur, quo in lucem edito, Regius illius ſplendor Orbi innoteſcat.

EPISTOLA, &c.

Jam verò Franciſci, *ſuaviſſimi pueri, honori nihil detrahitur, cùm illi tecum imagines, atque adeò Gloria ſit communis; imò & doctrinæ accreſcat multum: nam ille & ſuis Tuas adjungens, paria dotium & virtutum Sadicis exempla reperiet; ac Te in uno ſimilem patri ſuo Cubiliarcho, & ingenio & indole & moribus effigiem recognoſcet. Vale ad Familiæ Tuæ decus, & Regni ornamentum. Londini. Kal. Jun. Anno MDCLIII.*

Tuis obſequiis addictiſsimus

Fr. Franciscus à

S. Augustino

MACEDO.

LECTORI.

SUſcepti operis Ratio ut conſtet ſcire Lector debes. Pacto inter Illuſtriſsimum Dominum D. Joannem Mazcaregnas Comitem Torrenſem, & Illuſtriſsimam Dominam D. Magdalenam Caſtriam, SADICÆ Gentis Aulicam Virginem, Matrimonio, quòd inter eos ea neceſsitudo erat, quæ intercederet juri connubii, opus fuiſſe, ad id genus impedimentum auferendum, Pontificiâ Facultate. Hanc provinciam Romæ ſuſcepit Antonius Lopez Arroyo, vir honeſtus ac induſtrius, cui, ob hæc & alia nomina, id eſt à Comite Cubiliarcho Dom. D. Joanne Rodericio SA Meneſio Dom. Magdalenæ Fratre ſeriò commendatum. Et

quidem impetratæ literæ fuerunt, quę cùm eſſent expeditæ, deprehenſa eſt in earum tenore Clauſula *ILLUSTRES*, quæ non niſi Regii ſanguinis Principibus adſcribi ſolet. Et quoniam tunc Pontificia diplomata, ob vitia, quæ in quibuſdam ſunt deprehenſa, accuratiſsimè examinabantur, cùm hoc ab Antonio impetratum eſſet, timuit ſibi, nè juſto nomine ad probationem ejus tituli cogeretur, atque adeò ad eam afferendam rogavit per literas Comitem Cubiliarchum in Anglia, in qua adhuc moratur, Legationem Extraordinariam agentem, ut chartam idoneis domeſticorum ſuorum, qui id ſcirent, teſtimoniis confirmatam ad ſe mitteret: ut, eâ oblatâ, rem comprobaret. Id mihi cùm Comes Cubiliarchus commendâſſet, viſum non modò eam exhibere, ac exhibitâ ſcrupulum, utì poſtulabat, tollere, ac conſcientiam tutam reddere, ſed etiam anſam datam arripere, Domûs SADICÆ origines, Genealogiam, ſtirpes, connubia, Heroës, ac eorum Geſta deſcribere, ac ea in juſtum volu-

men

men conjicere, & non ſolùm Romanis privatis, qui quæſtionem moverant, ſed Univerſis, ac toti Orbi ejus Familiæ Regia ſtemmata decoráque clariſsimarum virtutum ornamentis illuſtrata exponere; ac neceſsitatem in gloriam vertere: ut appareret eam Familiam cùm Regii ſanguinis eſſe, tum inter eas, quæ ab iis fontibus manârunt, locum ſibi præcipuum vendicare. Et quanquam verebar nè non poſſem id exactè præſtare, quòd in Anglia pauca inſtrumenta Legato ſuppeterent, quòd Chartarum Scriptorúmque Gentilium ſcrinia in Luſitania reliquiſſet: ex iis tamen, quæ ſecum præter opinionem caſúque attulerat, & aliarum, quæ ſuppeditabat memoria, decrevi opus conficere, ut maturiùs occurrerem dubitationi exortę, ac eâ honeſtiſsimum virum ſolicitudine liberarem; maluíque ſplendori familiæ exiliùs ſcribendo detrahere, quàm ſcrupulum diutiùs morando fovere. Id providi, opere ſuſcepto, ut, quoniam aliquid

in materia desiderabatur, formæ certè, ac rationi operis nihil deesset. Quare quemadmodum domus constituitur ex fundamentis, parietibus, lineis ferreis, columníque; & ornatur imaginibus, aulæis, aureâ & argenteâ supellectili; ità volui SADICAM hanc Domum ædificari, instruíque. Itaque fundamenta antiquitatis, quoad ejus fieri potuit, & originum jeci. Parietes duxi, inductis SADICA, MENESIA, NOROGNIA, ALMEYDIA, Familiis, quæ cum Sandovalium, Mendossarum, Cugnarum, Paciecorum, Camerarum, Henriquium, Albicastrorum, Pereyrarum, Azevedorum, Tellesium stirpibus (quæ præter alias quas afferre item poteram in arboribus propiores sunt) conjunctæ in unam commissuram sanguinis venissent, structuram pulcherrimam reddiderunt. Addidi ex Regum Genealogia lineas, quæ parietes illos transversæ continerent ad firmitudi-

nem,

nem, distinguerent ad venustatem. Columnas deinde Romanas adduxi, quas interventu connubii cum illustrissima Columnarum Gente SADARUM quidam in Domum SADICAM invexit, ut Romanæ magnificentiæ tam insignis Familiæ ædificium particeps esset, & in eam peregrinâ quoque, ac pretiosissima ornamenta confluerent. Domum fabricatam imaginibus Heroum suæ Gentis in seriem deductis, ceu aulæis, picturísque decoravi: rerum gestarum ac eventorum memorabilium, supellectilis in morem, copiâ, & varietate distinxi: quo non modò voto aliorum satisfeci, sed & Familiæ dignitatem commendavi. Utinam tam ego splendorem in Domo ornandâ, quàm celeritatem in ea præpropere fabricandâ assecutus essem; cùm summâ festinatione liber processerit, & ad exitum perductus fuerit: ità ut, quibus incedebat domi passibus, iisdem in prelo, ferventibus operis festinaret. Ac nescio utrùm in sty-

lum quoque properati operis vitia irrepserint, cùm tam scribenti sæpe festinandum fuerit, ut secunda manus admoveri nequiverit. Id Lector æqui bonique consulet; quemadmodum brevitatem operis hujus Familiæ hæredes ac propinqui condonabunt. Erit hic quasi primus ac informis Ursi fœtus, quem postea in Lusitania liberiore otio formabimus, & fingemus, ac collectis undique partibus & quasi membris, aptis coloribus inductis, justam operi Corporis formam, magnitudinémque reddemus.

Vale.

HISTORIA

Genealogica

SADICÆ

FAMILIÆ.

LUſitanicarum, quæ Illuſtres ſunt & habentur, Familiarum *SADICA* nulli, vel vetuſtate Originis, vel ſplendore ſanguinis, vel amplitudine munerum, vel magnitudine rerum geſtarum concedit. In quâ neſcias,

neſcias, utrùm major accepti ab **A**vis, an redditi à **N**epotibus ſanguinis gloria fuerit: ut, ſi temporum diſcrimen tollas, & cum majoribus poſteros compares, utri alteris anteponendi ſint, ambigas. Certè, utì ætate diſpares, ità gloriâ pares ſunt: & quanquam inter ſe omnes ſpatiis annorum diſtent, in eodem tamen honoris gradu conſiſtunt. Nec verò ea nobis mens eſt, veteres illius Origines ſcrutari, eorum more, qui antiqua jactare volunt, ut autoritatem rebus, & religionem ex antiquitate concilient, & quod non poſsunt, commemoratione facinorum, obtinere, veneratione vetuſtatis conſequantur. Nam ea eſt hujus Familiæ claritas, ut per ſe ipſa ſplendeat, & lumen propiùs accedentibus illuſtrius præbeat; neque tam imaginum fumo, quàm luce commendetur. Sanè, ſi Heroës hujus Nominis ſigillatim recenſeas, nullum invenias, qui non cum *Ulyſſe* maluerit

Hor. in Art. Poëtic. *Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem;*

Tullius in. Piſonem. Nullum, qui cum *Piſone* voluerit obrepere ad honores, errore hominum, commendatione

datione fumoſarum imaginum, & qui nihil earum ſimile habuerit, præter colorem. Omnibus propoſitum fuiſſe ſtudium veræ laudis, quæ non alienis, ſed propriis virtutibus acquiritur, comperies. Non otioſa iis ſtemmata, nec muta, ſed quæ ſtimularent ad gloriam, & ad facinora accenderent, & clamores apud exteras Gentes, & famam facerent. Ac uti *Miltiades* in Majoribus multi, qui Trophæis poſitis incitarent; ità & in Poſteris *Themiſtocles* non pauci, quibus illa ſomnum adimerent, & calcaria admoverent. Profuit iis *Plutarch. in Themiſt.*

——longo
ſanguine cenſeri.—— *Juvenal. Sat. 8.*

Ut quò plura eſſent exempla, eò certiùs majora, frequentiúsque patrarent. Jam verò quòd in iis ob vetuſtatem multos cum Curiis

jam dimidios;

cum Fabritiis

——naſo qui & fronte minores

reperîſsent, id certè incitamento fuit ad ea belli ſubeunda diſcrimina, in quibus diſcerpti ac lacerati, Deiphobo ſimiles, ea membra *Virg. l. 6.*

cum

cum dolore amitterent, quibus mortuæ imagines ſine ſenſu carebant.

Non poterat Auguſtum *SADICÆ* Domûs ædificium non ſtylis regiis, qui vincula ærea tranſverſi efficiunt, ſtabiliri, cujuſmodi ſunt lineæ Regiæ ad calcem libri inductæ, Regalis ſanguinis colore tinctæ; nec non columnis pulcherrimis ſuſtineri, quibus & niteretur, & niteret: Has ex Neapolitano Regno adductas aucta jam & amplificata Domus accepit; ut ampliore periſtylio ſcenam, in quâ perſonam Nobilitatis gloriosè ageret, oculis exhiberet. Ex eo Columnii ſanguinis conſortio *SADÆ* Colonenſes appellati, quemadmodum Seneca noſter, & olorinæ ſenectutis Cygnus ejuſdem *SADICÆ* ſtirpis vates, Franciſcus Sa Miranda, ad Mendæ ripas educatus, concinuit,

Dos noſsos Sas Coloneſes
Grami tronco nobre Coluna
Groſso ramo dos Meneſes
Em ſangue e bens de fortuna
Que he tudo entre Portugueſes

Ingens noſtrorum Truncus, Princépſque Sadarum
Atque

Atque Columnarum clara Columna Domûs;
Meneſiæ ſtirpis prægrandi robore ramus,
Haud unquam ingenitæ Nobilitatis egens:
Fortunæque bonis dives; queis vulgus ineſſe
Luſiadum ſemper cuncta beata putat.

Cui ex adverſo reſpondet alter olor, ſed primarius, in ſtirpe *SADICA* hæres, *Joannes Rodericius* Sâ Meneſius, in ſuo Odarum libro, *Cancioneiro* appellant, in lucem edito, Anno 1526, deſcribens ſcutum Gentilitii *SADARUM* ſtemmatis.

Nos eſcaques Celeſtriais
E de Prata eſtâ moſtrado
O muy nobre e muy honrado
E per batalhas reais
Sangue de Sâ derramado.
Com que o Romam Colonês
Se miſturou de travês
Cada hum de gram primor
Em combates e galês

Cæruleis ludens argentea teſſera quadris
Monſtrat uti ſanguis Sadicus *arma gerat:*

Nobilis, & longo clarus se stemmate jactat,
Nobiliùs tingit Regia bella cruor.
Huic se Romano latere indè Columnius *orbe*
Miscuit egregiis pictus uterque notis.
Impiger in bellis, rapidisque triremibus audax,
Fortis & intrepidus, clarus uterque fide.

Non pauca hujus Familiæ ornamenta tum ad Originem, tum ad dominatum, tum ad opes, tum ad honores, tum ad res præclarè gestas spectantia interciderunt, non injuriâ magìs temporis, qnàm ingenio Lusitanorum, quibus à natura insitum, historiis digna patrare, non patrata conscribere. Quod gravis autor *Joannes Barrius* Lusitanus Livius sæpe tradit. Illa & brevis & apta est in prologo Historiæ sententia. *Tam suî negligens* [*Lusitana*] *Gens in rebus scribendis est, quàm diligens in gerendis; quòd ea magìs factis, quàm dictis gloriatur.* Et quanquam hujus Familiæ non pauci literas & amaverint, & coluerint, abstinere tamen à scribendo Origines suas gestáque maluerunt, tum, ne externos agere suscepto scribendi munere viderentur; (utì Barrius ipse quòd historiam suorum ediderit, fatetur) tum quòd per-

perſuaſum habuere, nullâ temporum injuriâ præclara *SADARVM* facinora poſſe deleri. Niſi fortè inſita Luſitanæ Genti incuria, & negligentia fuit, cui vitio vel nobilis *SADARVM* ſanguis mederi non potuit. Siquidem eò crevit ſocordia, ut annos permultos Regum ſuorum Originem (quæ certè conſpicua, & in aperto eſſe ſolet) & ignoraverint, & in occulto eſſe ſiverint; donec, Anno 1558, Damianus à Goes, vir jam tum eruditus, cùm in Belgium veniſset, eam è tenebris ad lucem revocavit; quemadmodum ſcribit cap. 72. lib. 4. hiſt. Regis Emmanuelis. *Illud certè maximè omnium, ex quo me lectioni librorum dedidi, ſoleo mirari: eam fuiſse Hiſtoricorum hujuſce Regni, ac eorum, qui Genealogias ſcripſere, negligentiam, ut Luſitanorum eos Regum Origo penitùs latuerit.*

Non modò in Regum origine prætereundâ vitium irrepſit privatis Hiſtoricis; ſed ipſa in ſcribendo negligentia, penè Regium vitium fuit. Nam *Petrus* Portugalliæ Infans cujus magni intererat ob dignitatem, & fidem de Genealogiis, de quibus librum condidit, accuratè exactéque ſcribere, multas & clariſsimas Familias, quæ illo ſcribente vigebant

gebant, omisit; & matris suæ nomen, quod ignorare non potuit, instar ignorantis præteriit. Quod diligenter observârunt Emmanuel Faria Sousa, & Felix Machadius Sylva & Alvarus Fernandius Vera, qui harum *SÆDICÆ* Genealogiæ Arborum autor exstitit: in notis ad librum Petri Infantis, Dictum Nobiliarium.

Alii rerum gestarum scriptores, ut in rudi seculo imperiti, non magis ingenii, quàm artis vitio Historiam depravârunt. Accessit magnitudo rerum, cui, cùm pares esse non possent, succubuerunt. Adeò quod aliis adjumento, aliis impedimento est. Itaque ea aut omittere, aut extenuare, aut deprimere; quædam lacerare, nonnulla exaggerare, ac exaggerando levare fidem; multa miraculo proxima, incredibilia ineptè narrando reddere; nec temporum, nec locorum, causarúmve rationem habere. Quare mirandum non est, in situ illo, ac sordibus incultæ ætatis illustria & nitida *SADÆRUM* initia latuisse.

Sed non idcirco eorum, quòd ignoratur, obscura est origo; cùm & maximorum amnium fontes in occulto sint, & Phœnicis cunabula

cunabula ignorentur. Certè vetuſtiſsima oblivione ipſâ commendantur; & quorum memoria exſtat, ea nova & obvia putantur.

Verùm enimvero conſtat vetuſtiſsimam *SADARUM* ſtirpem fuiſse; cùm ex manuſcriptis, in variis Chartophylaciorum ſcriniis, monumentis inventis appareat, Rege Sancio II. & Alphonſo III. SADAS principes viros fuiſse. Et quidem multa, & illuſtria ejus antiquitatis argumenta profert P. Franciſcus Brandanus Chronographus Regius in vita Dionyſii Portugalliæ Regis, & Joannes Salgado d' Araujo Perenſis Abbas. Quædam refert in manuſcriptis eruditus vir P. Fr. Bernardus à Brachara Benedictinus. Ex quo ea decerpſit, additis nonnullis è ſuo penu P. Fr. Ægidius à ſancto Benedicto, ejuſdem Ordinis ſcriptor. De Origine cognominis, placet, quod nobilis Genealogiarum Autor, idémque & natalibus vicinus, & clarus, Marchio Montebellius, hiſce verbis tradit, in obſervationibus ad Nobiliarium. *Contigit, ut primus hujus Familiæ* SADARVM, *trium ejus nominis oppidorum Dominus fuerit. Horum unum in ripa Fluvii* Cavadi; *alterum in conventu de* Regalados; *tertium prope* Portum *Urbem.*

Quæ, quòd omnia ejus Familiæ viris ſubjecta erant, ab iis, qui illa primus obtinuit, nomen Sâ *accepit, & poſteris habendum tradidit.* Ac deinde, *Ego,* inquit, *hujus nominis viros, ob ſplendorem Natalium, magni ſemper duxi.*

Utramque & antiquitatem, & nobilitatem Franciſcus Sâ Miranda in verſibus conjunxit, Eclogâ 6. ad Antonium Sâ.

Derecho ſucceſsor firme Coluna
Deſta Caſa de SA que empre entera
Edades diſcurriendo a una, à una
Los movimientos tan ſegura eſpera

Sanguine ſucceſſor, titulíſque, hujúſque Columna
Firma domûs Sadicæ; *quæ fortis et integra ſemper*
Ducta per annorum ſeries, & tempora curſûs
Suſtinet Ætherei, ridétque immobilis Orbis.

Et addit

Vos aunque Abuelos tantos os contais
Nobles de toda parte

Tu quanquam veterum tot nomina pandis Avorum
Undique Nobilium.——————————

Compertum ſanè eſt priſcis illis ſuperiorum

rum regùm temporibus hujus Familiæ Dominos, *Ricos homens*, id eſt, *Dynaſtas*, fuiſse appellatos; quemadmodum in Autoribus librorum Genealogiarum videre eſt. Ac hi iis temporibus erant, qui poſtea Comites, Marchiones, Duces hodiéque appellati ſunt.

Sed miſsis Antiquitatibus, ubi plura ſæpe veroſimilia, quàm vera occultari ſolent, ſuo ſe ſplendore prodit *SADICA* Nobilitas, & radiis undequaque diffuſis Solem agit, nec lumen à quoquam mutuatur.

Alias invenias Familias claras illuſtréſque, ſed brevibus ſpatiis circumſcriptas, addictas certis Urbibus, Oppidíſque, nec ſe ſatìs extra cunas explicantes. *SADICA*, utì magna & copioſa eſt nata, ità facilè adolevit, & ſeſe effudit; ceu non poſsèt intra anguſtos limites contineri. Itaque per totum regnum ſobole, deinde per totum orbem gloriâ propagata fuit. Et quidem tanta ejus claritas eſt, ut vix ullum cognomen latiùs manârit in alias Familias, quàm SADARUM. Si enim cogitatione percurras eas, quæ illud cognomen induerunt, invenias fuiſſe quàm plurimas, non ſolùm quòd in eas SADARVM ſanguis influxerit, ſed etiam, quòd

quòd tanti eas nominis ſplendor invitaverit. Quod ipſum argumento eſt, quàm illuſtris ea fuerit, cujus ſe luce nominis etiam obſcuræ domus nobilitare voluerint. Quemadmodum Sol eſſe probatur à ſtellis: ità etiam SA commendatur ab iis, qui, inſtar ſtellarum, lumen ab ea acceperunt. Itaque SAS plurimos dictos invenias. Cujus ſi cognominationis originem inquiras, non aliam reperias, niſi ſtudium ſeſe eo titulo condecorandi. Et quidem non ignoſcenda modò, ſed laudanda eſt nominis tantùm laude contenta ambitio: & quæ ipſo facto reddit quod aufert; cùm accipiendo honorem, decus reſtituat.

Et verò cùm duo Nobilitatis Fontes ſint, *Arma* & *Toga*; haud dubiè Arma præcedunt Togam. Semel tantùm (ut hoc Ciceroni ſummo in omni genere dotium viro demus) verè uſurpatum.

Cedant Arma Togæ.——— ——
Aliàs Toga Armis ſemper conceſsit.

Igitur SADICA Familia, nequa pars ei Nobilitatis deeſset, utramque complexa eſt: ſed

Sed cùm utrâque valuerit, *Armis* tamen multò plùs quàm *literis* valuit.

In tantâ clariſsimorum virorum ſerie Paludatos multò plures; Togatos pauciores, ſed aliquot eorum inſignes reperias. In *Africa*, in *Aſia* mira edidêre facinora. Celebratur in *Africa Joannes Rodericius* SA *Meneſius*; in *Aſia Franciſcus* SA, quem à conſpiciliis *Dos ocolos* appellârunt. Alii plures occurrunt legentibus monumenta hiſtoricorum.

In Americam intulere & arma & ſtemmata. Braſiliæ, quæ pars magna Americæ eſt, ac Luſitanicæ ditionis, præpoſitus fuit cùm imperio Mendius SA, vir Togæ artibus, & bellicis laudibus, & opibus clarus. Eminet ad Orientem, ſpoliis ejus ac trophæis onuſtus, Garcia SA, Indiæ Moderator, inſignis antea dux; Heroïbus annumerandus. His duæ Filiæ memorabiles, ſed diverſâ fortunâ fuerunt: Garciæ Eleonora, Mendio Philippa: illa calamitate, hæc felicitate nobilis. Nam illa ſuæ ætatis ſpecioſiſsima, Parentis deliciæ, ſpectatorum ſtupor, procorum ſcopus, Indiarum amor, gemmarum pudor, unionum cruciatus, cùm Emmanueli Souſæ Sepulvedæ,

magno multorum procerum, qui ejus ambiebant thalamos, dolore nupsisset, cum eóque, duobus aucta liberis, in Lusitaniam remeâsset, fœdo naufragio in barbarum littus ejecta, cum conjuge & sociis coacta terrâ iter susceperе, & innumerabiles labores exantlare; donec spoliata vestibus, quo nihil ei, ob pudicitiam, gravius potuit accidere, vivam se in arenam cum liberis prope defodit, ibíque iis priùs in complexu suo extinctis ærumnâ, miseriâ, inediáque confecta periit, conjuge ei superstite, qui paulò pòst in sylvas densissimas abditus, incertum quo casu periit, certè nunquam deinceps comparuit. Quorum miseranda fata Poëtarum Hispanicorum Princeps Ludovicus Camonius, elegantissimis carminibus, suavis in aliena morte olor, etsi Gigantis inductâ personâ, deplorat: nisi fortè, ut horrorem lacrymabili eventui adderet, id horribili monstro canendi munus imposuit. Quem cùm Gigantem autorem necis ejus facit, acutè illius pulchritudinem significat, dum ulturus illatas sibi à Lusitanis injurias, Eleonoram extinguit, ceu illo Sole sublato, de universâ gente pœnas sumeret.

Cant. 6.

Huic

Huic dotibus penè par, longè diſsimili fortunâ exſtitit Philippa SA, Mendii filia. Nam locata Comiti Linario ſplendidè ac beatè vixit; cúmque moriens dotales multas opes habuiſset, ſupremáſque jam ad Deum curas majori animi affectu convertiſset, eas Teſtamento reliquit Collegio Divi Antonii Societatis Iesu Olyſiponenſi; ac quorum inter pias manus exſpiravit, eorum voluit in conſortio ſepeliri: ac quoniam ejus templum & vetus & caducum erat, juſsit novum magnificentiſsimum exſtrui, inſtruíque ſacro apparatu ad miram elegantiam compoſito, aſsignatis ampliſsimis reditibus ad alendos complures ſacerdotes externos, qui aſsidui ejus templi eſsent, & ſolennia agerent pro dignitate, quòd id per ſtatuta Ieſuitis Patribus non licebat. Quod Templum è lævíſsimo marmore & politiſsimo, maximam partem candido in locis ex ophyte & porphyrite interſtincto, cruſtis aptè inductis variegato, miris inciſuris cœlato, cereo in incidentem manum obſequio prope miraculo habetur: cúmque perfectum nondum ſit, etſi prope ad finem perductum, apparet jam vix ullum ei non in Hiſpania modò, ſed in Europa

Europa templum par fore. Itaque illud SADICÆ magnificentiæ monumentum erit.

Togati inter alios duo, sed Togæ lumina floruerunt: Ambo æquales tempore, studiis similes, doctrinâ pares; etsi unus in adolescentia caput galeâ preſserit, & galeam lauro cinxerit, viderítque

Virg. Ecl. 8. *Inter victrices hederam sibi serpere lauros.*

Hic fuit Ioannes Rodericius SA Menesius, tertius à magno Ioanne, nomine, qui utramque & Armorum, & Literarum gloriam comparavit. Alter Franciscus SA Miranda, an Mirandus? celeberrimus ob ingenii acumen, & judicii pondus, & scientiarum varietatem, morúmque integritatem: qui primus Lusitani styli nasum produxit, & togatas satyras in Aulam induxit, soccósque cothurnis miscuit feliciter, & illud Pastoritio carmine consecutus est, ut

Virg. Ecl. 4. ——————*Sylvæ Consule dignæ*

fierent: ultra Fabulas Poëta, imò & sui temporis gratus Momus, & futuri Vates;

tes; quemadmodum ejus ſcripta demonſtrant. Certè, nemo meliùs eo & aptiùs jocos ſeriis, ac ſeria jocis diſtinxit. Cujus viri, quòd multa obiter, & nulla (quòd ad tranſverſam lineam pertinet) ex inſtituto facienda eſt mentio, celebrare memoriam volo, adſcripto hìc Epigrammate in ejus Epitaphium compoſito à Patre Ioanne Freyre Societatis Jeſu, divinarum, humanarúmque Literarum ſcientiſsimo: quod, quia elegantiſsimum eſt, ejus Sepulcro Illuſtriſsimus vir Martinus Gonzalvez à Camera, vir ad omnia Politices munera natus, incîdi curavit.

Ruſtica quæ fuerat ſolis vix cognita ſylvis,
Aulica Mirandâ Muſa canente fuit.
Maturóſque jocos, & ludicra ſeria ludens
Divinâ humanum miſcuit arte melos.
Cùm poſſet gladio tranſcendere nomen Avorum
Maluit arguti militiam calami.
Poſthabuit faſces, & inertis laudis honores
Ac docuit plectro promeruiſſe decus.
Omnia Mirandus, Mirandus pulvere in ipſo eſt,
Pulvere in hoc Patriæ gloria ſcripta manet.

Reliquos conſultò prætermitto: & ad propoſitos

positos mihi ad scribendum Familiæ præcipuos, & in rectâ lineâ constitutos Heroas convolo; incipiens ab eo potissimùm tempore, quod Arbor in fronte operis posita indicat; cùm jam perspicuè series Avorum Nepotúmque continenti filo ducitur: nec omnium omnia facta referam, sed, quod SA Miranda aptè dixit, utì solent canes è Nilo, quædam libabo.

Serei como os caens do Nilo
Que correm e que vam bebendo
Qui currunt, paritérque bibunt.

PELAGIUS SA.

Hic, à quo Familiæ Arbor incipit, rebus gestis & Famâ nominis clarior primæ stirpis gloriam vindicavit. Anno trecentesimo supra millesimum, Dionysio (quem Magnificum appellârunt) Lusitaniæ Rege floruit. Rudis tum artium ætas ingenio Regis coli cœpta profecit, ut luce quadam illius temporis nobiles perfuderit. Inter quos effulsit Pelagius Gentilitiis jam tum, nullâ vel recentis ab eo Rege, vel veteris ab aliis antiquioribus

ribus conceſsi diplomatis memoriâ, clarus honoribus, titulísque Familiæ conſpicuus. Itaque præfectus Arci Gaienſi (quæ contra Portum Urbem eſt) militare munus obiit. In ea Provincia, quòd multa oppida in clientela haberet, *Affluentis & Copioſi* viri cognomen, quo tum Dynaſtæ ſignificari ſoliti, obtinuit.

JOANNES ALPHONSUS SA

PELAGII Filius, Domum, quam hæreditario jure acceperat, ſervavit, auxítque. Nam retento & munere militari, & domeſtico ſplendore paterni Dominii terminos tranſcendit, additis ex Lafonienſi Diœceſi, in quâ habitavit, non paucis oppidis, quæ juris ſui fecit. Duxit uxorem Theraſiam Rodericiam à Berredo, clariſsimam fœminam. Cætera in obſcuro ſunt; non tam opinor ejus vitio, quàm temporis: quod ferream bellorum Civilium tempeſtatem in Luſitaniam induxit, & clarorum hominum memoriam rubigine infecit.

Tantum momenti in utramque partem in temporibus eſt. Uti dies obſcuri cœlum con-

contrahunt, clari diducunt; ità læta tempora res geſtas aperiunt, triſtia abſcondunt.

RODERICUS ANNES SA

Succeſsit Patri: ſed Paternam Domum anguſtam ingentes ei animi fecerunt. Aulam ingreſsus Regiam, aſsiduus in ea fuit. Brevi gratiam Regis iniit; quam honeſtis artibus ingenium Regis prodidit. Is Petrus erat; indole aſper, moribus integer, uſu difficilis, ſcelerum vindex, & ſceleſtorum Ultor: nulli molli (cujuſmodi adulatio eſt) vitio obnoxius; cui non niſi incorrupta ac ſevera cordi erant. Idcirco, cùm ſibi moderaretur in cæteris, juſtitiæ modum non tenebat. Arceſsitâ ſpecie crudelitatis Sævus & videri, & dici voluit. Huic, cui nuda veritas, & incorrupta virtus placuit, *Roderi-cus* ſe probavit. Et cujus pietatem pauci extorſerunt, ejus ille amorem elicuit. Quódque mirere, trux naturâ Rex, facilem ſe præbuit: communicato clandeſtino ſuo (cùm princeps eſset) cum Agnete Caſtria, Aulicâ eximiæ formæ virgine, inito matrimonio. Cui contrahendo cum quædam impedimen-

ta

ta obſtiterunt, quæ tolli, niſi Pontificiæ Autoritatis interventu, non poterant; delectus ad eam provinciam fuit Rodericus: magno fidei argumento, quòd vivo Rege Alphonſo illud infelix matrimonium Principi procuravit. Romam miſsus Rodericus magnum in ea Curia privatæ ac publicæ virtutis ſpecimen præbuit. Nactus ampliſsimum Theatrum, tantâ dignitate ſe geſsit, ut appareret, minores Patriæ, quàm pro perſona limites eſse. Ejus in Italia commoratio magnum Reipublicæ Eccleſiaſticæ momentum attulit. Quapropter Gregorius Pontifex Undecimus ei favit impenſè, & remunerationis ergò Lypſanothecam, fruſtulo Crucis inſerto, religioſè divitem, dono dedit. Ea verò in Luſitaniam ab eo ducta, & inducta in Paternam Domum, tanquam maxima hæreditatis pars, ſummâ hodiéque obſervantiâ, & fide ſervatur, & colitur. Nec verò pietas fructu caruit; nam vis præſens illic reſidentis Numinis inſigni ſe miraculo poſtea prodidit, utì ſuo loco dicemus.

Tantum Gratiæ apud Pontificem, tantum opinionis apud Romanos Proceres collegit, ut una ex Principibus Italiæ Columnio-

rum Familia ejus affinitatem aut oblato matrimonio ambierit, aut certè petitum ab eo non detrectârit. Conſtat locatam *Roderico Juliam Columnam,* præſtantem ex ea gente Virginem. Quibus nata parentibus, minùs compertum. Fama obtinuit, Agapiti Columnii ſororem, aut fratris filiam fuiſſe. Duxeritne illam Romæ Legatus, an in Luſitania poſtea, cùm in eam Agapitus à Pontifice Legatus iit, prorſus ambigitur. Id vero propius eſt, Romæ pactam, in Luſitania ductam fuiſſe. Certè, non ſine reſpectu ad thalamos homo è Columnia familia, poſt eum Romæ Legatum, Legationem in Luſitaniam ſuſcepit. Nec illius Gentis Poſteri matrimonium inficiantur. Quâ de re cùm Eminentiſsimus Dominus Cardinalis Hieronymus Columna, Luſitaniâ adhuc Caſtellæ adhærente, & Joannes Rodericius SA *Meneſius* Cubiliarchus, nunc Penaguiani Comes & Legatus in Angliam Extraordinarius mutuò inter ſe ſcripſiſſent, tam brevis ea per literas comunicatio fuit, ut ejus ſummâ utriuſque voluntate ſuſceptæ initium, ſubito illorum Regnorum diſsidio finis ob politicas rationes oppreſserit,

ac

ac ejuſce rei mentionem ſuſtulerit. Reverſus in patriam Rodericus cum optimâ conjuge feliciter vixit. Eo connubio patuit, nuſquam peregrinam virtutem eſse, cùm & ille Romæ thalamum invenerit, & illa in Luſitania nobiles ac Romanis pares liberos pepererit.

JOANNES RODERICUS SA.

Viros Maſcula SADARUM Familia ſemper tulit; unum inter tot viros *Joannem Rodericium* SA Heroa protulit; Luſitano & Romano prognatum ſanguine, cuilibet veterum utriuſque gentis, quâ nulla Heroum feracior, comparandum. Hic molliore tempore, id eſt, Rege Fernando, uxorio ac diſſoluto amoribus educatus, indole celſâ, & ad arma natâ, ſegnitiem vicit, animúmque ad delicias induratum, ad militiam inſequentis ætatis præparavit. Incitabant currentem memoria gratiæ, in quâ Pater apud Regem Petrum fuerat: & Patriæ amor huic Familiæ innatus, qui in ejuſdem Heroïbus ſeculis cunctis enituit, quorum ſtemmata ſanguine fuſo illuſtria purpurant: quorum bellica ſtudia, quoties opus fuit, nunquam laboranti Patriæ defuerunt. Militaris ea ætas,

ætas, quòd, Ferdinandi morte, Eleonora, similis viro uxor, sceptrum capessens, Lusitaniæ Regnum Joanni Castellæ Regi, ejus nominis primo, qui Beatricem Ferdinandi & Eleonoræ filiam in matrimonio habebat, hæreditario ab ea jure tradere voluit. Non probabant Optimi Lusitanorum Eleonoræ placitum, quod legibus patriis adversum, & servituti pronum erat : nec placebat viris jus addictum thalamo, colóque. Armare leges voluerunt, & instantem vim vi repellere; creato, summo consensu sanæ Nobilitatis & Plebis, velut interrege, *Patroni*, ac *Defensoris* nomine, Joanne, ex alieno thoro Petri Regis filio; Avisiensis (Militaris is est) Ordinis præfecto : qui postea, devictis hostibus, Regno accepto, ejus nominis Primus appellatus est. Huic, quòd verâ virtute ad regnum grassandum erat, viris fortissimis adjutoribus opus fuit. Inter eos Joannes Rodericius SA mirum quàm excelluerit, egregiis ab initio facinoribus terrâ marique. Id Literarum ad eum Regiarum testimoniis constat, quarum exempla subjicere operæ-pretium puto : cùm præsertim multa ejus strenua facta temporum injuriâ

juriâ interciderint, ac ipſa ſemet multitudine obruerint, ac velut in turbâ tumultuante oppreſsa perierint. Illud item juvat, quòd ex præmiis, quibus illæ Literæ fœtæ ſunt, quanta ejus virtus fuerit, qui meruit, perſpicuè appareat.

Prima & antiquior eſto.

Joannes Dei Gratiâ Equitum Aviſienſis Ordinis Magiſter, illuſtris admodum Regis PETRI *filius, Luſitaniæ & Algarbiorum Regnorum Defenſor & Moderator, omnibus haſce literas inſpecturis. Palàm facimus, nos volentes remunerare Joannem Rodericium Sâ, Clientem noſtrum, ob ea quæ & antè præſtitit, & nunc præſtat, & præſtiturum deinceps credimus Officia, ſicut decet eos Dominos, qui bene de ſe meritis ſubditis ſatisfacere ſtudent, decernere, concedere, donare, dono dare, donatione inter vivos perpetuò duraturâ, ac ex eo lineâ rectâ venturis, Omnem Regionem à Barreiro & Sever, quæ eſt intra Diœceſim Lamecenſem & Averienſem, quam ei donamus ex jure ac hæreditate cum omnibus reditibus, penſionibus, tributis, appendicibus, novis juribus, ità ac utì nos poſſumus & debemus ex jure & conſuetu-*

dine : imò & ſi meliùs & validiùs donari quid poteſt, eo donari volumus, donamúſque. Olyſipone. Per Alfonſum Marques. Anno Chriſti 1384. *Æræ* 1422.

Huic aliam addi oportet Epiſtolam Anno Chriſti 1387. datam, quo jam anno Joannes ex Defenſore ac Patrono Rex inſtitutus; quâ conſtat eundem Joannem Rodericium Sâ Regii Cubiculi Cuſtodem, & Thalami ſecretioris intimum Arbitrum (Cubiliarchum vocant) ab eodem Rege creatum. Eâ Prærogativâ, ut, cùm Domui Regiæ ornandæ operam daret, quam armis erat amplificaturus, ſummo conſilio, Cubiculo præpoſuerit Joannem Rodericium Sâ; ut quo fulmine hoſtes foris diſsipaverat, eo Aulam Regiam tanquam Columnâ ſuſtineret. Et quidem videri voluit Joannes Rex ejus virtutis particeps eſſe, quem ſibi intimè adhærere volebat. Nullúmque domi ſuæ munus ante iſtud inſtituit, ut primas honoris Joanni daret. Imò Regum antea nemo id muneris tot prærogativis nobile in Palatio habuit: nec eo ſe nomine quiſquam ſuperioribus annis Aulicus Magiſtratus jactavit. Nova in priſca Nobilitate virtus inſolito

insolito præmio affici debuit. Ac eo jam titulo in hac Epistola Joannes Rodericius Sâ donatur.

Joannes Dei gratiâ Portugalliæ & Algarbiorum Rex. Nôrint quicunque has literas inspexerint, decretum nobis esse, Joanni Rodericio Sâ, Cubiliarcho nostro ob præclara in nos merita, beneficia præmiáq; conferre. Itaq; voluntate nostrâ, ex certâ scientia, integrâ potestate ei damus, donamus, puram & liberam donationem facimus &c. Bracharæ die 5 Octobr. Alvarus Gonzalvez scripsit. Anno Christi 1387. Æra 1425.

Succedebant merita meritis, ac præmiis præmia. Nam anno proximo Bousſarum Oppidum conventúmque juri Sadico, & quatuor rustica prædia Matosinii, Patrimonio addixit. Liquet ex literis adpositis.

Joannes Dei Gratiâ Rex Portugalliæ & Algarbiorum. Scire volumus Omnes, ad quorum hæ literæ manus pervenerint, nobis placere, habitâ ratione rerum præclarè à Joanne Rodericio Sâ, Cubiliarcho nostro, gestarum, & quas ab eo gestum iri speramus, in compensationem stipendii diurni annexi muneri Cubiliarchi, dono ei

ei dare oppidum & conventum Bouſſarum, & quatuor ruſticana prædia intra Diœceſim Portuenſem de jure dominii & hæreditatis, ac ejus in perpetuum poſteris, &c. Rex ſcribi juſſit. Gonzalus Fernandez ſcripſit. Avellanis 18 *Febr. Ann. Chr.*1388. *Æræ* 1426.

Quatuor pòſt annis Portuenſis Arcis (quæ magni momenti eſt) Præfecturam, idem Joannes Rex eidem Joanni Rodericio Sâ dedit : quemadmodum in ſubjectis literis continetur.

Joannes Dei gratiâ Portugalliæ & Algarbiorum Rex. Tibi, Prætor, vobis, Senatores, & Concilium, & Cæteris honeſtis Civibus fideliſſimæ Civitatis Portuenſis, omnibúſque aliis has literas noſtras viſuris. Manifeſtum vobis eſto, ob ſpectatam erga nos & perſpectam Joannis Rodericii Sâ fidem, præfectum eſſe à nobis eum, Arci ejuſdem Urbis, quod ei munus multò antè promiſimus. Rex juſſit interventu Roderici Laurentii Decani Conimbric. Licentiati in jure Civili, & Joannis Scholaris in eodem jure Licentiati, ſubditorum & à Conſiliis ſuis. Scripſit Vincentius Annes 21 *Febr. Anno Chriſti* 1392. *Æræ* 1430.

Neſcias, uter Felicior, Joannes Rodericus Sâ

Sâ patrando, an Joannes Rex remunerando? Nam ea prima laus Principis eſt, rectè & liberaliter præmia diſtribuere : & in parte felicitatis ponendum, eos habere Duces, in quibus ea juſtè collocentur. Certabant inter ſe utriuſque Joannis manus: alterius dimicando; alterius donando: ac dona planè bellatore digna, militaria, & ſpecioſi plena periculi. Hujuſmodi fuit Interamnenſis Provinciæ à vicino hoſte cuſtodia : cui præfectus cum imperio fuit, ut eam, quâ in confinio hoſticæ regionis erat, tutam ſartâmque ſervaret. Conſtat ex Regiis, quas adjungemus literis.

Joannes Rex, &c. Omnibus viris militaribus Provinciæ Interamnenſis ſignificamus, cùm è re publica ſit, hujus provinciæ fines tutari, & cuſtodiri, ad id electum à nobis Joannem Rodericium Sâ: quem limitaneis terris, militibúſque præficimus, volumúſque & jubemus omnes vos eóſque ejus imperiis præſtò eſſe, etc. Conimbricæ 19 Decembr. Mandato Regis. Vincentius Annes ſcripſit. Anno 1397. *Æræ* 1435.

Hæc ſunt præcipua, quibus Joannes Rodericius Sâ donatus eſt: & præmia quæ in hæreditaria ejus Domo perſeverant. Plura

quidem alia & magna est consecutus, quæ successorum aut largitate, aut incuriâ aliò translata sunt, vel amissa, quemadmodum ex chárto-phylacio Regio constat. In cujus exemplaribus exstant celebres donationes à Rege factæ eidem Joanni Rodericio Sâ, nempe *Portorii, et vectigalium Regiorum Scalabis, Domimi in Melgassum et Castrum Ayrium cum appendicibus et adnexis*, quæ juxta Literarum tenorem magnum secum pondus trahunt. Quâ de re postea sermo recurret. Nunc ad ejus præclara facinora commemoranda accedamus.

Ac primùm nullum ferme memorábile iis temporibus, in quibus alia ex aliis serebantur, prælium fuit, in quo Joannis virtus non eluxerit. Adeò, ut, cùm sub illo Rege, quo nemo fortior exstitit, ac iis sociis, quibus bella & pericula cordi erant, militaverit, & illi se magnopere probaverit, & his admirationem attulerit; singulari sanè nominis sui gloriâ, quòd cùm alii terrâ, alii mari præclara gesserint, ille terrâ marique duplicatæ fortitudinis laudem tulerit. Verùm quòd illa ætas (utì suprà significavimus) studiosa magis patrandi, quàm scribendi

bendi fuit, nec quæ tunc præclarè erant geſta, quòd multa & repetita, nova & inuſitata videbantur, imò (ut fit) præ turba minoris fiebant, tranſmiſſa ſilentio, & oblivione ſepulta. Fuerunt tamen, quæ pro magnitudine eminere viſa ſunt, & quia inuſitata, mentes ad ſe & calamos converterunt.

Horum tria operę-pretium fuerit memoriæ mandare. Ac primum illud memorabile, quod, Triremium, vocant: tradit id Ferdinandus Lopez, vetus hiſtoriæ Luſitanicæ ſcriptor, in vita Joannis I.

Flagrante inter Luſitanos & Caſtellanos bello, cùm hi Luſitaniam, occupandi Regni causâ, invaderent, illi defenderent, & ſummâ utrinque vi certaretur, accidit, ut inſtructæ ex adverſo triremes in ipſo Olyſiponenſi portu in anchoris ſtarent. Luſitanæ prope urbem in loco, quibus *Sanctis* nomen eſt: Caſtellanæ contrà ex alterâ parte littoris ad *Caſilhas* oppidum, medio intercurrente & dirimente Tago flumine, ſtationem habebant. Caſtellanæ Luſitanis multò plures, & numero militum, & nautico apparatu ſuperiores erant. Hinc orta fiducia

Luſitanas

Lusitanas aggrediendi : nec tamen id ausi vi apertâ, sed industriâ, dolóque. Nam cùm vidissent Lusitanas ob refluxum maris penè in sicco esse, laxatásque custodias: magnam militum partem, & Navarchos aliquot in littus exiisse, occasione usi, sublatis anchoris, ac intentis velis & remis in Lusitanas improvisò impetum faciunt. Nec magnâ vi opus erat, cùm æstûs recedentis vehementia secundo flumine venientes in subjectas triremes impingeret. Itaque momento invectæ magnum tumultum excitârunt. In eo una, quæ longiùs aberat, subitò apprehensa, & armis viríque obruta in hostium potestatem venit. Erat utrinque littus spectatoribus plenum ; Lusitanis hinc, Castellanis indè hortantibus, & accendentibus suos. Inter eos, Reges ipsi noscitabantur, ceu ex eventu omen belli capturi. Dolor Lusitanos, Gaudium Castellanos cepit. Hos spes alere, illos desperatio dejicere : diversi affectus animos agitabant : cùm repentè Unius hominis virtute conversa fortuna est. Nam cùm afflictam captámque triremem trahi remulco à Castellana Joannes Rodericius Sâ vidisset, ardens irâ nobili, solus

lus uti erat, arreptâ lanceâ, uno tantùm ſervo comitante, in captam triremem inſiliit, & telo, quo peritè utebatur, intento, & illato hoſtes impulit, & repetitis ictibus plures confodiens avertit, & coëgit in puppim. Deinde in eos ibi conglobatos, & præ turbâ metúque ægrè ſe expedientes, impreſsione factâ, dejecit, & attonitos expulit, & in ſuam ſe recipere triremem compulit. Ingens ex eo plauſus coortus majores Joanni animos fecit. Eodem, quo expulerat hoſtes, impetu, è trireme, quam liberaverat, in hoſtilem deſiliit. Senſit illa pondus venientis, ac gemuit: nec minùs hoſtis vim ferientis ſenſit.

Fulmen ille, quà ibat, viſus: nec tam vulnerare, quàm fulminare: obvios impellere, repugnantes occidere, quoſdam telo petere, quoſdam conto dejicere, alios voce terrere, alios oculis irâ ardentibus exanimare: nunquam ſiſtere, progredi, nec minis, nec vulneribus cedere. Ità brevi vacuam hoſtibus triremem reddidit, & ſuæ virtutis implevit. Apprehenſam ſuæ adjunxit, & remulco actam mutatâ ſorte ad littus perduxit.

Perinde ac in se summam prælii transtulisset, victi Castellani cesserunt. Ille, cùm utramque triremem nexam littori adegisset, in terram, excensione factâ, Regi, qui aderat, & brachia ad amplexum expediebat, prædam obtulit, veniam petens, quòd non omnes adduxisset. Facinus, quo vel strenuissimus gloriaretur, ipse purgavit; excusans vulnera, quæ septemdecim acceperat, quorum quindecim à capite humerorum tenus illata pugnanti.

Maxima victoria fuit; sed mirabilior excusatio dolentis, minus egisse, ubi nemo plus patrari posse speraret. Facti magnitudinem, quòd prope incredibilis erat, vetus historicus, rudi, ut ea tempora erant, ratione confirmat, exaggeratâ Joannis fortitudine, adhibitâ triviali comparatione; *Nè quis verò*, inquit, *existimet hæc tantùm ab Joanne patrari: ille quippe inter cæteros ferocem taurum inter mitissimarum ovium greges prorsus agebat.* Tantâ admiratione & plausu exceptum facinus fuit, ut cognomen Joanni à Triremibus fecerit: non minore jure, etsi minore sonitu, quàm qui à debellatis Gentibus, Africani, Numidici, Asiatici, Germanici cognominati sunt. Hoc

Ferdinand. Lopez in vita Joan. Reg. 1.

O des Galès

Hoc in mobili Elemento ſolidum factum: illud in firmo volatili famâ. In oppugnatione Melgaſsi, quod Caſtellani ceperant, cùm ſummâ vi præſidiarii reſiſterent, moræ impatiens Joannes ſcalam afferri juſsit, Admovit muro, & alacriter, eâ conſcensâ, in apertam coronam conatus evadere. Jámque penè in ſummo erat, cùm in eum ingentis molis ſaxum dejectum, quo caput afflictum, ipſe ad terram præceps datus. Obſtitit galea, ne occideretur: ſed tanta vis ponderis fuit, ut priſcæ fidei hiſtoricus affirmet, omnibus corporis ſui, quod ſucci plenum erat, poris ſanguis eruperit. Capaneum citra fulmen dixeris, Pyrrhum citra caſum, neutri imparem; auſu parem, eventu meliorem: nam deditio caſum ſecuta.

Statius Thebaïd. 11. Plutarch. in Pyrrho.

Honoris avarus, periculi avidus erat. Paulò pòſt, cùm vix convaluiſſet ex ictu, Regem Araducam oppugnatum euntem ſecutus eſt. Poſitis ad eam caſtris, quæſivit in concilio Rex, utrùm oppugnandum oppidum eſſet? Opus ſanè videbatur aleæ plenum, quòd valido munitum præſidio, quòd duplici in orbem vallo circumdatum, inexpugnabile apparebat. Plurimis dehortantibus

tantibus Regem, Joannes interceſsit, ac oppugnationem perſuaſit. Authorem ſententiæ aggredi opus Rex juſsit : nec ille aut detrectavit, aut diſtulit. Continuò oppugnare cœpit, & brevi ejectis Caſtellanis primum occupavit vallum, & fugientibus in ſecundum inſtitit; ac impetu uſus expulit. Quatuordecim reſtiterunt, nec niſi vi magnâ cogi poſſe ſignificabant. Ergò in eos haſtâ cruentâ jam, & adhuc ſanguinis avidâ irruit, & coëgit. Ac veluti bellando vires recrearet, unum ex iis pinguem & validum cruribus apprehendit, & ad regem duxit; quem cùm ante illius pedes projeciſset, inſultantis inſtar, *En*, inquit, *homines, quos quidam paulò antè in Concilio terrori Tibi eſſe volebant.* Immemor virtutis, memor honoris, ſuî ſimilis, patrare mira, & ceu parva contemnere.

In memorabili Aliubarrotæ Prælio, Caſtellanorum *Allia*, in Principibus fuit. Quâ in parte pugnabat, in eâ cœpit victoria. Terrorem incuſsit hoſtibus, animos addidit ſuis, admirationem attulit omnibus. Nullum fuit eâ ætate, armis fœtâ, & bellis fœcundâ, alicujus momenti prælium, cui *Joannes* ferme non

non interfuerit, in quo ſtrenuam operam non navârit: ídque perpetuarum continenti ſerie victoriarum argumentum eſto, *Joannem* eas pugnas pugnâſſe, qui nunquam aberrârit à palma; quem quo fortuna cunque tenderet, addicta ſequebatur. Nihil ei ætas detraxit animi, nihil virtutis, felicitatis nihil. Joannem Regem, Septenſem in Africam, multis pòſt annis, expeditionem ſuſcipientem comitatus, primæ ex ſubactâ Mauritaniâ partæ gloriæ particeps fuit. Exſtant Regiæ id atteſtantes Literæ, quarum hoc exemplar eſt.

Joannes Dei Gratiâ Portugalliæ, & Algarbiorum Rex, Septæ Dominus, omnibus haſce literas inſpecturis compertum eſſe volumus, Nos conſideratis & expenſis rebus præclarè, in Obſequium noſtrum, à Joanne Rodericio SA, *Equite Generoſo Aulæ, & Cubiliarcho, jam vitâ functo, geſtis, ab eo tempore, quo adverſùs Joannem & alios Caſtellæ Reges bellare cœpimus, contiuuatâ operâ uſque ad obitum, tum initio in Obſidione Olyſiponenſi, tum poſtea in Regiis ad Aliubarrotam prælio, tum in aliis quamplurimis, pertinaci eo durante bello etiam in expugnatione Septenſi ad ſignificandum quantum nobis ejus nobilis fama virtutis arriſerit*

quippe quæ non eo tantùm incolumi & ſuperſtite, ſed etiam defuncto remunerari debet ; ut ejus nomen in liberis, quemadmodam in ſe vixit, vivat, conſervetúrque, memoriâ auctâ & ampliſicatâ, ad præbendum poſteris documentum, bene-merendi de Rege & Republicâ, & accendendos animos ad præclara gerenda, atque ad procurandam iis protectionem Infantis Filii mei Primogeniti, ejus conſilio, conſenſu, placito, ex noſtrâ certâ ſcientiâ, & bonâ voluntate dono damus ejus Filio prædicta munera Cubiliarchatûs, Præfecturas Arcium, jura, dominia, utilitates, reditus, & qnæcunque alia, &c.

Hæc ideo dicta ſunt, nè quis putet Joannem Rodericium SA in Septenſi expeditione deſideratum fuiſſe ; adeò ut nihil arduum, clarúmque ab illo ſummo ſit Rege ſuſceptum, in cujus ille partem non venerit. Cujus eximia virtus tot ejuſdem Regis, támque perſpicuis teſtimoniis celebrata, tot & tam præclaris donata præmiis, ut hinc appareat, neminem, illâ ætate, Heroïcâ planè ac memorabili, illo ſuperiorem fuiſſe. Quin ſi Chartophylacium Regium & Catalogos eorum, qui ab eo donati ſunt præmiis, Ducum inſpiciamus, nullum majoribus ornatum

Laudibus

laudibus, affectum beneficiis reperiemus. Adeò ut Doctor Joannes Pintus Riberius, vir eruditus ac verax, ac Regii Chartophylacii præfectus palàm sæpe testatus sit, sibi in Scriniis Regni versato, & Antiquitatum curioso, collatis Magni Nonnii Alvarez Pereyræ, & Joannis Rodericii SA præmiis, & supputatis rationibus constitisse, quantum Nonnio donatum fuit, tantundem Joanni redditum fuisse. Ex quo apparet, quàm in Joanne virtus & & præmium ex æquo certârint. Illud in eo admirandum, quòd tam parvi pendebat, quæ à Rege, virtutis ergô, accipiebat præmia, ut negligere videretur, ceu puderet mercedis, quòd honoris avidus esset. Itaque monumenta Chartarum, quæ ab aliis summo studio asservari solent, ille sic neglexit, ut multa iuterciderint, atque adeò necesse fuerit ejus Filio Fernando SA, qui in ejus Domum & jura successit, ea, supplici oblato libello, ex Registrariis Tabulis transcribere, ac instaurare, uti ex subjecto diplomate patet.

Joannes

Joannes &c. Notum facimus, donâſſe nos olim Joanni Rodericio SA *defuncto, oppida & conventus Severii, Barrerii, ut ad ejus poſteros hæreditario jure tranſirent, &c.---quemadmodum in Chartis noſtris continetur. Et quoniam modò Ferdinandus* SA, *ejus filius, Cubiliarchus noſter, Dominus illius Regionis, ſignificavit nobis prædicta diplomata, & literas liberales omnino periiſſe, &c.*

Unde conſtat quàm incurioſus harum, quæ ab aliis accuratè ſervantur, rerum, ac negligens eſſet : ut apud SAS ſola virtus valere videretur : niſi fortè induſtriâ perdidit, nè poſteris illa hæreditario poſſeſſa jure otium, & ſocordiam afferrent ; eóſque invitaret exemplo ad nova præmia factis comparanda : nam quæ ipſi proprio ſanguine non acquirerent, alieno juri imputanda erant. Vir ſanè ad ſalutem juxtà & gloriam Patriæ natus ; quàm etiam ductis ex ſe clariſsimis ſtirpibus nobilitavit, cùm ex Uxore Eliſabetha Rodericia Pacieca plures liberos ſuſceperit, qui Familiarum Capita exſtiterunt, & SARUM ſanguine corrivato, nobiles Domos inſtituerunt.

Dignus

Dignus itaque memoriâ immortali, & quem jure Magnum Luſitani appellârint.

FERDINANDUS SA.

Hunc, quem multis annis in prœliis comitem habuerat, mortuus hæredem Joannes habuit. Spectatum virtute ac fide Cubiliarchum duo Reges experti ſunt, Joannes primus, Edvardus Unicus.

Ætas prima bellis exercita, media aulicis officiis vacavit, extrema periculis involuta. In eo quod inter Alphonſum Regem, & Petrum patruum diſsidio exſtitit, cùm domeſticus Regis eſſet, partes ſecutus eſt regias: non quòd infenſus Petro; ſed quòd ſanctius Regis nomen quàm Petri fidem putavit. Ea res pleroſque Procerum movit, Regia ſequi ſigna, & adverſùs Petrum pugnare. Unus eorum Ferdinandus

fuit, qui funeſto ad Alfarroubeiram prælio interfuerunt: In quo citra culpam utrinque certatum. Nam nec Petrus contra Regem pugnans, fidem; nec Alphonſus contra Tutorem & Patruum, pietatem violavit; cùm Petrus, ut fidem ſuam probaret, arma ſumſiſſet; nec ea niſi ocactus expediiſſet: Alphonſus verò & arma & fidem ab armis ſuſpectam haberet, & vim vi exarmare voluiſſet. Jus ambiguum Fortuna Regi aſsignavit, delatâ ei, morte Petri, victoriâ. In eo prælio Ferdinandus SA ſtrenuè pugnans occubuit. Id in literis Regiis apparet, quarum caput ſubjicimus.

Alphonſus Rex, &c. Palàm facimus Joannem Rodericium SA *Cubiliarchum, & ejus filium, Ferdinandum* SA *Aulæque noſtræ nobilem, & generoſum Equitem, qui nuper ad Alfarroubeiram, noſtris adhærens partibus in prælio adversùs Petrum Infantem dimicans cecidit, & expenſis quibus nos officiis obſequiiſque devinxerit &c.* Rodericus Mendez ſcripſit, An. 1450. Uxorem habuit Philippam Acugnam ingenti dote locatam. Ex-

Ex ea ſuſtulit numeroſam prolem; filios duos, & filias quatuor, quæ omnes illuſtribus viris nupſerunt.

JOANNES RODERICIUS S A.

Avo, Patríque ſimilis, accepta geſsit munera, & præclara egit facinora. Nec occaſiones defuerunt, eo Rege, qui ingenio bellator, & *Africanus*, ob expeditiones in Africam ſuſceptas, dictus. Nullum Joannes prætermiſit, in quâ majorum ſequens veſtigia, ſingulare virtutis ſuæ ſpecimen non præbuerit. Id cùm alia monumenta privata, tum præcipuè literæ Regiæ prçmia illi decernentes teſtantur. Prima eſto.

Alphonſus, Dei Gratiâ, Rex Portugalliæ & Algarbiorum, Dominus Septæ & Alcaſſaris in Africa. Nôrint omnes has literas noſtras viſuri, inſpectis diligenter à Nobis obſequiis, ac officiis à Joanne Rodericio S A, *Illuſtri Aulæ noſtræ Equite, & Arcis Portuenſis Præfecto, quæ è re noſtra fuerunt, præſtitis, quæque deinceps*

inceps ab eo fore ſperamus, libenter ei donamus, &c. Eboræ, 13 Februar. Joannes Gomez ſcripſit. An. 1459.

Alteras paucis pòſt annis redditas exhibemus.

Alphonſus, &c. Habitâ ratione rerum præclarè à Joanne Rodericio S A, *in obſequium noſtrum, & Reipublicæ causâ, geſtarum; & quæ exinde geſtum iri credimus : ac expenſis iis, quæ nos juſtè impellunt, Cauſis, eum tum ob ſua, tum Avorum merita remunerare prudentes ac volentes, &c. Portu in Urbe.* 25 *Julii Martini Gonſalvez manu. An.* 1472.

Inter alia, quæ plerunque militaria munera fuerunt, quibus, à Rege Joannem præfectum accepimus, uni graviſsimo, tunc & ſummæ fidei, Togato, à Rege præpoſitus eſt. Quod qui gerit, Regiæ Gazæ, & rationum Adminiſtrator, uno verbo *Inſpector* dicitur. Id tertiis ad eum Literis conſtat.

Alphonſus

Alphonſus, &c. Sciant quicunque hujus mei diplomatis conſcii fuerint, Joannem Rodericum SA, *ob ea, quibus me devinxit, officia, Gazis univerſis, & rationibus meis à me præfici, atque adeò* Inſpectorem *creari. Olyſipone. 26 Auguſti. Henricus à Figueiredo ſcripſit. An.* 1476.

Eo munere, Joanne Rege, Alphonſi filio anno pòſt 1488. functum, ex ejuſdem ad eundem Joannem Rodericum SA ſcriptis literis conſtat.

Joannes Rex Joanni Rodericio SA *à Conſiliis, Portuenſis Arcis Præfecto, Gazæ noſtræ, rationúmqne* Inſpectori, *Manu Didaci Alphonſi. An.* 1488.

Cumulatus honoribus ſplendidè vitam egit, & novum Familiæ Nomen cum thalamo nobili, & dote præclarâ intulit. Nam cùm uxorem duxiſſet *Catharinam Meneſiam* Comitis Petri Meneſii Regii ex eo fonte ſanguinis neptim, cùm ea pariter accepit jus in unam Olyſiponenſis Urbis Regionem, quę *Vallis viridis* vulgò *Valverde* appellatur, ac reditus indè proveniente; quæ

maxima certè dos erat. Hinc factum, ut ea conditio Matrimonii tabulis adderetur aſſumendi, & addendi Gentilitio SADARUM cognomini *Meneſiorum* titulum, qui ſanè ejuſmodi erat, ut citra fœnus optandum videretur. Itaque ex eo deinceps SADÆ, *Meneſii* cognominari cœpti, novo gloriæ nexu, & tituli, decora ſecum trahentis. * Quæ poſtea in Nepote Joanne Rodericio SA cumulata ſunt alio ex Cantagnedii fonte derivato per Beatricem Meneſiam rivo & avis juxtà & factis nobili, quemadmodum in *Henrico* SA dicemus. Cæterùm Catharina Meneſia, Aldonſæ filia, Avum habuit Petrum illum Meneſium Comitem, primum Ducem Septenſem è Domo Villaregalenſi haud dubiè Regiâ: ſummum Imperatorem, quem à Conto [Scipione] appellârunt, quòd cum Septæ Urbi recèns expugnatæ à Joanne Imo Prçfectus quçreretur, qui eam à Maurorum impetu vim meditantium defenderet, ac multi munus, ob imminens periculum, detrectarent, Petrus ut erat conto innixus, in medium prodiens præfecturam illius accepit, ac eo ſe, quem manu gerebat, brevi

* Uti obſervat Auguſtinus Manuel ſubtilis & accuratus ſcriptor lib. de vitâ Conſtantini Sâ cap. 4. manuſcripto, ubi ſic. Caſo con hija heredera de Luis de Azevedo veador de la hazienda y de Doñâ Aldonza de Meneſes hija de D. Pedro de Meneſes primer Conde de Villareal: con eſte Caſamiento a reſpero de la inſtitucion de un mayorazgo que fundo Doñâ Aldonza en ſus deſcendientes ſellamaron deſpues Sâs de Meneſes, los de ſu appellido y Caſa. Duxit uxorem filiam hæredem Ludovici Azevedii, Adminiſtratoris Gazæ Regiæ, & Domnæ Aldoncæ Meneſiæ Filiæ D. Petri Meneſii primi Villarealis Comitis. Cujus interventu connubii, quòd Aldonza majoratum pro Deſcendentibus inſtituit, Sadici cognominis & familiæ viri Meneſii deinceps appellati ſunt.

brevi ſcipione defenſurum recepit: nec vanam fuiſſe ſponſionem eventus probavit.

HENRICUS SA MENESIUS.

Breviori hic uſus vitæ periodo, ſed glorioſum curſum, nec majoribus ſuis diſſimilem confecit. Adoleſcentiam in Africa armis exercuit, ſub eo Rege, qui ejuſmodi militiam & amavit, & fovit, Emanuele; qui eum indè laureatum redeuntem Togato adminiſtrandi Regias rationes muneri reddidit. Quod munus ideo hominibus hujus Familiæ commiſſum eſt, quia & ad Fidem pertinebat, & ex eo Armorum nervi petebantur. Nuſquam ſplendidiùs aurum micat, quàm in manibus militum, in quorum uſus locatur. Uxor Henrico Beatrix Meneſia Joannis Meneſii Cantagnedii Domini Filia, quem nemo ſuæ ætatis bellicâ laude excelluit. Eo matrimonio duo Meneſii ſanguinis ex Regio fonte facta divortia in Sadicam Domum confluxerunt. Quo certè nullus in Hiſpania vel ſplendore originis,

originis, vel gloria facinorum clarior: quem eò feliciùs SADÆ acceperunt, quòd primùm à Petro, ſecundùm à Joanne Meneſio duxerunt rivos, duobus nempe Heroïbus, quibus paucos pares non modò illa, ſed plura antè-acta ſecula tulerunt. Geminata Meneſiæ affinitatis vincula in Joanne Rodericio SA, Henrici hujus filio reſpiciens Sadicæ Familiæ inſignis vates Franciſcus SA Mirandus in egregia illâ ad eundem Joannem ſcriptâ odâ celebravit: eam ſuprà adduximus, nunc ejuſmodi verſiculum libamus:

Groſso Ramo dos Meneſes.

Meneſiæ ſtirpis prægrandis ab arbore Ramus.

Quòd nempe ex duplici propagine conflatus ramus in majorem molem creviſſet.

JOANNES RODERICIUS SA MENESIUS.

Eum & Armorum & Literarum ſtudia illuſtrem

illuſtrem reddiderunt. Primus Togæ lumina in Sadarum Domum fulmineam invexit. Pueritiam in Literariâ palæſtrâ magiſtris erudiendam dedit: & ingenium, quod acre obtigerat, diſciplinis excoluit. In ruditate animam ſubegit, & cùm Latinè balbutirent homines, ille in Græcum Sermonem linguam ſolvere voluit. In barbaras Scholas Atticam elegantiam intulit. Ex Umbrâ & ſpatiis, ad Solem & pulverem belli Africani eductus præclara in Schola Martiâ rudimenta poſuit, Magiſtrum nactus præſtantem Joannem Meneſium avunculum Cantagnedii Dominum, qui eum per diſcrimina ad gloriam erudiit. Sequebatur grandibus ad aſtra euntem paſsibus Joannes adoleſcens

——— *non paßibus æquis:*

Sed quos animo niſúque anteibat. Excitabat exemplo avunculus. Major tamen in venis ſtimulus generoſi concurſu ſanguinis ad magna prurientis. Trudebat alter alterum foras: nec ſe capiebant; prodire honeſtè in lucem per vulnera optabant. Nec deerant occaſiones oſtentandæ virtutis. Unà ex præcipuis fuit Azamoria Expeditio,

quam Joannes Meneſius ſuſcepit, comite, inter alios primæ Nobilitatis juvenes, Joanne Rodericio SA Meneſio, ſororis ſuæ filio, qui, acerrimo cum Mauris inito prælio, in confertum Equitum globum, quem ſtrenuus Dux regebat, [Alcaydem vocant] impreſſione factâ, præſens vitæ periculum ſubiit: nam equo dejectus, ac penè hoſtium turbâ oppreſſus eſt. Sed cùm egregiè ſe tueretur, adfuerunt ei in tempore qui ſervarent, ac Ducem pertinaciùs reſiſtentem interficerent; quem ubi ex equo cadentem Joannes conſpexit, alacri ſaltu in eum inſiliit, & immiſtus cæteris ſtrenuè dimicavit.

Rurſum ad Arzillam, quam magnis copiis, ac omnis generis machinamentis Feſſanus Rex obſederat, eodem Joanne Imperatore, egregium magnanimitatis ſpecimen præbuit. Nam cùm mari ferendum auxilium eſſet, ac in littus validior Exercitûs Regii pars cum tormentis ad impediendum egreſſum è navibus concurriſſet, eſsétque excenſio difficillima, adeò ut ad milites excitandos, Imperator, qui primus in terram evaderet, ei præmium militare propoſuiſſet,

orto

orto inter nobiles Luſitanos, qui in eâ claſſe plures erant, de periculoſo honore, certamine, ſigno erumpendi dato, primus omnium, qui in littus impactus eſt, linter, fuit is, in quo Joannes Rodericius SA Meneſius vehebatur, tantâ vi adactus, ut, cùm ipſe proram cum Henrico Meneſio conſobrino ad deſiliendum alacer conſtitiſſet, nè ex impactu frangeretur, coacti ſint remiges remos inhibere, atque adeò proram in mare vertere, & puppim littori objicere. Unde loco mutato, alteri copia excendendi fuit, fremente ac indignante Joanne caſum virtuti nocuiſſe. Quanquam converſâ mox prorâ ipſe in terram evaſiſſet; ſed non acquievit loco, quòd noluit in ſecundis, tertiíſve conſiſtere.

Nec verò fortitudinis magìs quàm prudentiæ laudem tulit, ipſius judicio Joannis, qui, utì integer erat animi, ità calculum incorruptè ponebat. Hic igitur cum parte Regiæ Claſsis aſſumptâ in fretum Gaditanum naves Mauricas exagitatum iret, & reliquam, quæ maxima erat ad Alcacarem ſubſiſtere juberet, cùm clariſsimi in ea viri, Dynaſtæque, & ſpectatiſsimi bello Duces cenſerentur,

Jo-

Joannem Rodericium delegit ex omnibus, cui præfecturam aſsignavit. Majore adhuc ex eorum ſilentio argumento, quòd nemo fuit qui ei ſe honori aut oppoſuerit, aut obtrectaverit. Etſi autem ambigitur, utra major commendatio ſit, Acroama laudantis, an ſilentium invidentis; certè apud Luſitanos conſtat majus habere pondus extra invidiam, quàm intra gloriam eſſe. Illud conſtat Joannem Imperatorem non in Joanne Sororis filio *ſanguinis*, ſed *virtutis* rationem habuiſſe: & quidem is ità ſe geſsit, ut eo munere dignus videretur: eſsétque cenſuræ obnoxius Patruus, niſi eum claſsi præfeciſſet. Cùm ſatìs perſpecta, & explorata ejus virtus foret, à Rege Emmanuele Legatus in Hiſpaniam ad Fernandum ſocerum extremo, è quo deceſsit, malo laborantem; cui cùm morienti adfuiſſet, mandatum, ut cum Regina Germana vidua & Ferdinando Philippi Belgæ filio, Ferdinandi ex Joanna nepote, graviſsima negotia tractaret: quibus confectis octo poſt menſes (tot enim in Curia fuit) reverſus eſt in Luſitaniam. Non diu quievit; nam cùm Rex Emmanuel Beatricem Filiam Sa-

Sabaudiæ Duci locâſſet; ac ea eſſet ingenti comitatu deducenda, impoſita ea provincia eſt Joanni Rodericio SA Meneſio, cujus præſentia ſplendorem pompæ adderet: ex quo Luſitanicæ Genti exiſtimatio acceſsit. Et quoniam eò confluxerant prę̨clara illius temporis ingenia, neceſſe fuit Joanni cum iis ſæpe de Literaturâ certare; in quâ, cùm excelleret, magnum ſibi nomen, & Patriæ ornamentum peperit. Unus è principibus fuit, qui Togam Armis junxere, & lauream galeâ preſſere. Ille robuſta ſecula, ferro addicta, gravi ſervitute liberavit, deterſo pudore inerudito, qui occupaverat animos generoſos, perinde ac ſtudia literarum rubiginem armis inducerent. Ac erant non pauci, qui nè legere quidem ſciebant, quemadmodum obſervat hujus Familiæ nobilis Poēta, Franciſcus SA Mirandius.

Alguns nam Sabiam ler.

Neſcia Nobilium fuerat pars magna legendi.

Debet hoc Joanni ſeculum noſtrum, quòd

aurum immiſcuit illi ferro, & rudem acuto ingenio opinionem jugulavit: non minus auſus vincendo verecundiam, quàm ſi reprimeret inſultantem audaciam. Docuit eos qui bellantem in acie viderant non hebetari in otio gladium, nec deſueſcere aſſuetam calamo manum acriter ferire : itaque nobiles & generoſæ poſt eum artes eſſe liberales ceperunt. Sublatum utriuſque Minervæ Martíſque diſsidium. Luſit in rem præclarè idem SA Mirandius hoc ramuſculo.

As letras que nam achaſtes
Vos as meteſtes na terra
A nobreza as aiuntaſtes
Com quem ſempre tinham guerra.

Hoc irrepertas tempore literas
Tu luce donas, pulvere ſuſcitas.
Armíſque florentum virorum,
Quæ fuerant inimica, jungis.

Græcam linguam bene callebat, Latinam penitús. Caſtellanicæ peritus, Italicæ doctus. Sed hæ penè vulgares habentur: illæ, quòd peregrinæ; ac prçcipuè Græca, quòd exo-

exotica, in pretio eſt. Exſtant præclara utriuſque peritiæ in Gentilitia Bibliotheca monumenta, in quibus ſunt notæ ad Homerum, Principem Epicorum: Pindarum Lyricorum Coriphæum: Obſervationes in Anacreontem Ocellum Muſarum, Græcè compoſitæ, eodem Græco ſermone conſcriptæ. Ille Virgilium, alterum Latii lumen, commentariis illuſtravit, & Parthenium vatem ingenii ſui fœturâ ditavit. Ille Titi Livii lacteam Hiſtoriam, additis eruditionis luminibus, ſtelliferam reddidit. Ovidii, amœniſsimi Poëtæ, flores, inſtar apis, libavit, dum Elegias quaſdam in vernaculum carmen convertit: Latinè cum Latinis agens, nè diſſonum quicquam eſſet in opere. Hoc ſtudiorum genere delectatum eum conſtat, quandoquidem & multa ipſe Luſitanicis verſibus compoſuit, & pleraque aliorum collegit, ex quibus tomum unum juſtæ magnitudinis confecit: quem à forma verſuum, Odarum librum, vulgò *Cancioneiro* appellant. In quo ea rudimenta Poëſeos eorum temporum Authorum, qui ferme omnes nobiles ſunt, nominibus clara, numeris demiſſa, cultu horridula,

dula, ſono inſuavia, ſed ſucco tamen & ſenſu plena inveneris: & quæ aſperâ manu, telo magìs quàm plectro aſſuetâ ſint ſcripta. Pacuviana, & Cæciliana, Næviana, Lucretianáque audire te putes. Nitidior tamen ea pars eſt, quam Joannes noſter elaboravit, & argumento & Carmine: nam ſtemmata & Genealogias illuſtrium Familiarum in verſus incluſit; ac ità eorum normas & leges: horum origines ac fontes deſcribit, ut & ſe eruditum oſtendat, & lectorem ſuum eruditum reddat. Sanè cum materies difficilis ſit, & numeris minùs accommoda, ità ab eo eſt & tractata, & compoſita, ut nihil, præter numeros, vinctum & coactum habeat. Jam verò Hiſtoriæ & amans erat & ſciens, quòd ea pars & doceat, & ſuadeat exemplis: quod genus docendi, ac movendi potentiſsimum eſt, cùm præſertim mutum ſit, neque aut blandiatur auribus, aut aſſentetur animis. Cujus ob id tanta autoritas fuit, ut ipſe Hiſtoriographus Regius, Vir in omni diſciplinarum genere verſatiſsimus, *Damianus Goëſius*, cùm Autores Hiſtoriarum veterum detegere,

gere, & quas quiſque ſcripſiſſet explorare & declarare voluiſſet, ac ea res implexa & obſcura eſſet, Joannem noſtrum, ut qui ea diligenter monumenta evolviſſet, conſuluerit; nec quicquam niſi prejudicatum ab eo afferre voluerit. Id quidem apparet ex particula Capitis 38. part. 4. Chron. ejuſdem, quæ hujuſmodi eſt, quemadmodum idem *Damianus Goës*, cùm ejus utitur teſtimonio, refert.

Gratus mihi nuncius fuit, commiſſum tibi, utì ſcribis, munus ſcribendæ Regis Emmanuelis Hiſtoriæ, quòd ſciam rectè illud à te, accuratéque gerendum, qui eum ſemper maximè & amâsti & coluiſti. Et quidem quod narras de varietate Scriptorum, qui eam ſibi vendicârunt, & aliis per manus tradiderunt, ſimile mihi videtur ei, quod de Homeri *Rhapſodiis circumfertur, quemadmodum traditur de veterum Regum Hiſtoriis, quæ apud Fr. Juſtum Epiſcopum Septenſem Italum pericrunt: quem Rex Alphonſus ex Italia evocari juſſit, ut eas Latinitate donaret: qui cùm Almadæ peſtilentiâ occidiſſet, cum eo & monumenta interierunt.*

Rodericus Pina, Joanne Rege II, ejusdem Regis mandatis, quæsivit ac reperit vetusta quædam Historiarum exempla, quæ intercidisse fama erat, apud civem hujus Urbis, cui nomen erat Ferdinando Novaïs: ac hujus mihi filius cognominis literas Regias ostendit cum schedula Roderici Pinæ id confirmante.

Constat igitur, Joannem non modò liberalibus eruditum artibus, sed etiam philosophiæ studio excellentem; utì idem Autor testatur his verbis:

Sed quoniam confusè & latè de Historiis, earùmque Autoribus egi, operæ-pretium duco dicta à me hactenus confirmare testimonio Joannis Rodericii SA Menesii, Præfecti Arcis Portuensis Urbis, Domini Severii annorum supra Lxxx. de quo sæpe in meo Chronico feci mentionem. Cui integra omnino adhibenda est fides, ob magnam & variam, quæ in eo est, literarum non solùm amœniorum, sed etiam severiorum philosophiæ peritiam; & collectam ex longo usu experientiam, cùm domesticarum, tum externarum.

Ac

Ac idcirco eum ſæpe Reges duo *Emmanuel* & *Joannes* III. de graviſsimis rebus conſulebant, ac ejus præjudicio utebantur. Nec minùs ille virtuti ſtuduit; Religionis & Religioſorum amator præcipuus, ac obſervantiæ cupidus, morúmque acerrimus cenſor: & quòd jam eos à primâ illâ inſtitutæ vitæ integritate decedere videbat, ſtatuere & ſuſtinere decrevit; ídque, quoad ejus fieri potuit, conatus eſt perficere. Nam cum Fratrum, qui Obſervantes dicuntur, Franciſcanorum ejus majores patroni eſſent, atque adeò in eorum Conventu Portuenſi jus ſepulturæ haberent, ac ſecundùm id in eodem deſtinatum ad ſepulcra, atque adeò jam Gentilitium locum haberent; novam domum erexit obſervantiæ arctioris (*Recollectionem* vocant) in oppido ſuæ ditionis Matoſignii, quam Divæ Virgini à Conceptione dicavit; ac in ea ſepulcrum conſtrui ſibi juſsit; ac decretum voluit, ut deinceps, qui Familiæ Auſpices & hęredes eſſent, alternis ſepelirentur, unus in conventu Portuenſi, alter in Recollectione Con-

Conceptionis. Quod acceptum à posteris, & ritè servatum.

Has omnes ingenii pręclaras, animíque virtutes cecinit SA Mirandius hac Odâ

Mas vos que sempre vos ristes
Do povo que nam vé mais
Ricamente a alma vestistes
O mais tendes por demais.

Aos grandes aos valerosos
Passados de quem herdastes
Sobre nomes tam lustrosos
Desque nas Armas pegastes
Nam fostes dos ociosos.

Bem pudereis descansar
Que tempos foram de paz
Pudereis rir e jugar
Como se na terra faz.

Mas entrastes noutra afronta
Doutra nobre sede cego
Deseiastes de dar conta
Tambem do vosso as sossego
Como de Catam se conta.

Sed

Sed cæca rides lumina callidus
Tu nîl videntis plebis, & induis
Virtute mentem, prætuliſti
Quàm reliquis opibus caducis.

Præſtans avorum ſtemmata bellicis
Cælata factis pulvere ſuſcitas;
Ex quo palæſtram Martis intras
Aſſiduus fera bella tractas.

Poſſes Togatis lentus honoribus,
Fluxere quando mitia tempora,
Frui, jocari, fabulari,
More tuæ genióque Gentis.

Sed tu periclum ſuſcipiens novum
Ardens honeſtâ nobiliùs ſiti
Et crimen excuſas quietis,
Et ſtudium ſequeris Catonis.

Matrimonium iniit cum Domna Camilla Norognia illuſtriſsimi ſanguinis & multarum virtutum fœmina; quæ ei com-

plures liberos peperit: etſi quidam immaturâ morte prærepti fuerint. Ipſe, cùm ad quindecim ſupra centum perveniſſet annos, ſenectutem habuit crudam viridémque: ferunt quippe eum centenario majorem equos agitâſſe, & in gyros egiſſe, & frænum mordere coëgiſſe; imò, quinquennio ante mortem cùm equitaret, paucis adoleſcentibus in equis domandis conceſsiſſe.

Tandem Anno centeſimo decimo quinto fato conceſsit. Sepultus ad Conceptionis non in ſacello maximo, quod intactum poſteris ſuis reliquit; maluit in Capitulo humili ſepulturâ condi, ſimplici contentus inſcriptione;

Hìc jacet

JOANNES RODERICIUS SA.

Ut Epitaphium reſponderet ſepulcro: documento, inanem eſſe poſt mortem ſpeciem gloriæ, & quæ quiſque vivus egiſſet, ea abunde ad famam fore, & Mauſoléa

ſolĕa & titulos in ipſo nomine quæri oportere. Certè unum *Joannes Rodericius SA Meneſius* nomen monumentis omnibus majus eſt. Ut enim illi ſententiæ Lucani, quam tantopere laudat Auguſtinus,

Lib. 1. De Civ. Dei.

Cælo tegitur qui non habet urnam:

parem reponamus

Unius egregias ſuperat vis nominis urnas.

Vixit annos CXV.

ANTONIUS SA.

Hunc Pater, cùm domeſticis, quibus abundabat, præceptis ad eruditionem imbuiſſet, & ad omnem virtutem Politicénque formâſſet, non doctrinâ magìs quàm exemplo, ubi adoleſcentem vidit, ad Arma incitavit. Erat tum Africa juvenum Martialis Palæſtra, in cujus pulvere decorem ac ſordes nobiles Ephebi colligebant; ſéque non ad vitrea ſpecula comebant;

Sed

Sed ad ſcuta & galeas æreo nitore lucidas ad gloriam exornabant: non molles in Gynecæo inter penſa colúſque degeneres Achilles, ſed fortes in acie ac hoſtibus metuendi. Aquilam *Antonium Joannes* Aquila eduxit: non Thetidis inſtar, ſed Agyrtis. Probavit ille ſe Patri germanum filium: non ſuſpenſus ex unguibus, ſed ad ſolem converſus, ſed fulmine telorum in hoſtes irruens, & haſtarum nubibus ſolem operientibus ſe opponens. Tantæ virtuti, una urbs theatrum idoneum eſſe non potuit; itaque cùm Septæ militâſſet, Safinium ſe contulit, quòd plura ibi pericula, ob frequentiores Maurorum incurſiones erant. Ibi cùm multa præclarè geſsiſſet, magnâ nominis ſui gloriâ in patriam rediit; ubi uxorem duxit Dom. Agnetem Norogniam. Ex qua ſuſcepit filiam Camillam, quam locavit Vicecomiti Pontis Limii. Diem ſuum obiit Patre ſuperſtite. Et quidem videtur in Africam ſæpe rediiſſe, cum Mauríſque pugnâſſe, ac viciſſe. Nam quoties hi, quod ſæpe contingebat, coactis majoribus copiis, urbem aliquam è noſtris obſeſſum veniebant,

bant; inter alios, qui eò ferendi auxilii causâ convolabant, Antonius voluntariam operam attulit: ac evenit, ut, ſolutâ obſidione, ac pulſis & fugatis hoſtibus, in patriam victor regrederetur. Docet id nos Franciſcus SA Miranda, in Epithalamio ad eundem pro filiæ Nuptiis: in quo Africana illa geſta enumerat. Cujus ego delibare Carmina quædam volo; quæ rem continent.

Vos aunque Abuelos tantos os contais
Nobles de toda parte, como aqui
Bullicio algun ſe ſiente allâ bolais
Teſtigo puede ſer Ceuta y Caſi
Con tanta diligencia que buſcais
Grandes afrentas y ala buelta anſi
Porque en repoſo todos los rezelos
No os dexan bien dormir vueſtros abuelos.
Buelto de aquella empreſa valeroſa
Contra los Turcos que van deſmaiados
Dais oy la hija al yerno por Eſpoſa
Cercano en deudo, cercano en eſtados.

Tu quanquam veterum tot nomina pandis Avorum
Undique Nobilium: belli cùm fama tumultum

Hìc ciet, atque animos Mars excitat, ocyùs illo
Sponte volas: teſtes ſunt Septa *&* Safinus *Urbes*
Sedulus ut rapido quæras diſcrimina paßu
Bellica, quæ rurſum redeuntem in tecta laceſſunt:
Namque domi exagitant curæ, ſtimulique decori,
Queis adimit ſomnos memorabile nomen avorum.

In patriam victor poſt Punica bella reverſus,
Inque fugam Turcis poſt funera dira coactis
Uxorem genero læto das ſydere natam
Sanguine conjuncto, & terræ ditione propinquo.

Ea quibus apparet, eum non modò adoleſcentem, ante ductam Uxorem, ſed eâ jam ductâ, non ſemel in Africam rediiſſe: vel ſi ſemel rediit, bis ad Septam, Safinúmque hoſtes repuliſſe, nec tantùm indigenas Mauros, ſed etiam Turcas externos, qui iis auxilio venerant, ſuperâſſe.

FRANCISCUS SA.

A Mortuo Antonio, parente adhuc Joanne ſuperſtite, Domum, ſecundùm legem mentalem

mentalem dictam hæreditario jure Franciſcus frater accepit: nec patrimonii magìs quàm virtutis paternæ hæres fuit: Jam hæc in Franciſco enituerat, ut ultra ætatem luxiſſe. Itaque Joannes III Rex illius præjudicio facto prætextatum adhuc Joanni principi Filio ad ſummam gloriam adoleſcenti obſequiis addixit, & ſtudiorum & aliarum ingenii, & corporis exercitationum comitem dedit; eúmque poſtea ejuſdem principis cubiculo præpoſuit, anno ſcilicet 1540. quemadmodum ſcribit *Franciſcus Andradius* in Chronico Regis Joannis III. Cujus teſtimonium, quòd in Franciſci laudem cedit, conceptis verbis afferre volo.

Præfecit Rex Principis cubiculo Franciſcum SA Filium Joannis Rodericii SA, Arcis Portuenſis Præfecti, & Dominæ Camillæ Comitis Villonovani Filiæ, unum ex illis quos Eboræ Principis obſequio addixerat. Cui confirmavit ad id à ſe mmnus electum ob egregias, quæ ei inerant, dotes, quas jam tum cùm Principem ad omnem virtutem formaverat, penitùs inſpexerat, explorârátque.

Etſi

Etsi verò tunc Dom. Franciscus à Portugal Comes Vimiosius apud Principem Cubiliarchum ageret, Placuit tamen Regi illud munus Francisco SÆDÆ assignare.

Sublato acerbâ morte Principe, vixdum nato Sebastiano, Regii Corporis Custodiis præpositus est: eúmque Catharina Regina, ut esset à Consiliis Nepotis sui, diplomate à se Anno 1558. expedito, Petro Fernandez scribâ, jussit. Cùm vero Regiæ Domûs administratio paululum immutaretur, inductis in locum unius Cubiliarchi quatuor cubiculariis, ac ea immutatio aliquid de honore detraheret, quòd dignitatem consuetam minueret, Portum Urbem concessit: ubi semotus à turba, procul à negotiis, studio se literarum dedit; quibus antea imbutus fuerat, & in quibus postea excelluit. Dives ei ad carmina vena erat: quam cùm in eo secessu coluisset, stylóque incidisset, aureos rivulos eduxit. Eos volvit illa celebris suavísque Cantilena; ad Lessam fluvium, Cujus initium est,

O Rio de Leſſa
Como corres manſo
Se eu tiver deſcanſo
Em ti ſe comeſſa.

O Leßa venæ flumen amabilis
Quàm tu quieto volveris agmine:
In te morantis, ſi qua detur
Principium capiam quietis.

Cui acceptum refert quietis ſuæ initium: quam tamen deſiderio viri motus Rex Sebaſtianus interrumpere cogitabat oblato diplomate, quo ei deſtinabat munus Prę-fecti Domûs Reginæ, quæ ei Uxor futura eſſet. Tam bene de Republica meritus erat, ut, cùm aliis vix ſint prędmia reddita, ei ex ante eſſent prędparata. Imò & cûm primùm in Africam trajecit, ei clavum imperii commiſit; ac penès eum eſſe voluit ſummam Reipublicæ: ſingulari prærogativâ, ut, cùm non pauci Regii ſanguinis id temporis, ac Sebaſtiano conjunctiſsimi Principes eſſent, omnibus tamen ille præferendus videretur. In quo munere ità ſe geſsit, ut, cùm iterum eandem

dem expeditionem ſuſciperet, eum Rex rurſum Vicarium in Regno ſuum reliquerit, imò & cùm repugnantem coëgiſſet, ampliore poteſtate donaverit.

Is eventus Expeditionis fuit, quem Franciſcus judicio prævideràt, & timore confirmaverat: ſed evertere non potuerat. Cúmque Henricus Cardinalis Regnum hæreditario jure ſuſcepiſset, maximam curarum partem in Franciſcum SA, cujus multum tribuebat judicio, opportunè tranſtulit: ratus, qui tam ſcitè Regis abſentis vices egerat, ejus præſenti Regi utiliorem operam fore. Domûs ſuæ Cardinalis induſtrius ſemper & gnavus adminiſtrator fuit. Regiam nactus auxit induſtriam, curámque. Eos miniſtros elegit, qui & domum ornarent, & opinionem augerent. Viſum eſt ei à Sebaſtiano inductum in aulam morem antiquare. Placuerat huic Cubiliarchi munus, quod Luſitanici Reges uni perſonæ gerendum dederant, in quatuor dividere, qui *Cubicularii Camariſtæ* dicerentur. Exemplum à Burgundica Domo inſolens & peregrinum acceperat: quo

quo judicio incertum, omine certè infelici, quòd cui externa placebant, is proprium Regnum amisit. Quanquam & aliud ab aliis jactatum: Eum nempe odio in Constantinum Brigantium, cui illud munus erat promissum, ministerii formam mutare voluisse, nè occasio ambiendi, quod non erat decorum, foret: nam eo in munere Constantinus nisi decus amaret. Fuerunt etiam qui spargerent, factum id excludendi Franciſci causâ, quòd antea Principis Joannis cubili præpositus fuerat, nullo suo merito, sed humani conditione ingenii. *Adeò quæ probantur primis, successoribus non placent.* Verùm sive illa mutatio studio, sive odio, sive supercilio facta fuisset, ea brevissima fuit, vetere consuetudine restitutâ. Vetusta radices agunt, nova facilè convelluntur. Itaque iisdem, quibus placuit, postea displicuit.

Cùm perspecta esset Henrico Franciſci & prudentia & fides, relicto, quo antea utebatur, Cubiculi Præfecto, Franciſcum subrogavit, eique integram dignitatem restituit.

restituit. Id munus ità gesit, uti cætera obierat: quæ cùm multa & varia gessisset, ità singulis functus est, ut ad ea factus videretur. Omnibus sanè se Principibus probavit. Joannes eum Tertius Principis Filii contubernio asignavit; & id ætatis, quod maximum fidei argumentum est, cubiculo præposuit. Principi sic adfuit, ut ad omnis virtutis exempla formaret; & animum alienis præceptis imbutum, quod difficillimum est, ad genium suum, disciplinámque traduceret. Etsi verò Princeps, cùm ejus curam suscepit, minùs excultum, quàm decet Principem, ingenium haberet: tantum apud eum Franciscus autoritate valuit, ut ei se omnino informandum tradiderit, ac brevi subacto ingenio præclara scientiæ virtutísque semina conceperit, quæ in eos fructus erupere: quos commemorat Franciscus SA Miranda & Ludovicus Camonius, olores duo, ejus mortem immaturam deplorantes. Ex quibus ità SA, quòd Gentilis sit, etsi Camonius quoque non alienus.

Aquelle

Aquelle Real corpo bem nacido
Entendimento muito mais que humano
Subitamente desaparecido.

Deinde.
Aquella mais perfeita Creatura
Que nunca entre nos ouue.

Heu! regale illud bene natum corpus, & illa
Mens ſupra humanam, maturâ haud morte receſſit.

Et rurſum.
Illa quidem periit, peregrinæ gratia formæ
Quâ nunquam Lyſiæ perfectior ulla refulſit.

Atque hoc non omittam dicere, ut quàm exactè tum de educatione Principum ageretur, appareat, & quàm maſculis præceptis animum ad ardua Franciſcus Principis erudiret. Vigebant eâ tempeſtate ſtudia bellica, & ad militares ſpiritus creandos Fabuloſi Heroës (*Equites Vagantes* dicunt) excogitati, quibus prodigioſæ virtutis exempla attributa, quæ etſi commentitia, veram tamen virtutem accenderent, & ad audenda, gerendáque pręclara incitarent.

citarent. Horum lectione imbuebat Principem, ut cum voluptate doctrina ingrueret; & dum fabulis delectabatur, exempla fortitudinis in animum demitteret. Et cùm Franciſcus SA Miranda, ſeveriorum Muſarum cultor, ingeniíque tetricioris, pro familiaritate ex ſanguinis neceſsitudine & uſu aſsiduo, eum ob id comiter carperet: monens multò & utiliores & honeſtiores fore libros alios, qui veræ virtutis exempla narrarent, & ſolidis documentis erudirent; reſpondit ille; eum rectè inſtituere, qui

Hor. in Art. Poëtic. ——*miſceat utile dulci.*

Fabulas illas legentibus voluptati eſſe, & cum voluptate lubentiùs hauriri doctrinam. Sin Poëtas condemnaret, quòd fabulas ſcripſiſsent. Quod ſi horum lectio utilis & honeſta habebatur, quid cauſæ eſſet, cur & illorum, qui Poëmatum inſtar erant, librorum lectio improbaretur. Deinde obſequendum tempori eſſe; nam tum ii libri in pretio erant. Id permitti, quòd juvenes ad fortia patranda ſtimulabant.

Itaque

Itaque Principi charus exſtitit, ac ſi is diutiùs viveret, intimum illum, & arbitrum haud dubiè rerum haberet.

Rex Sebaſtianus, cùm nihil niſi altum & arduum mente agitaret, Franciſcum & magni fecit, & multis honoribus affecit. Cuſtodiæ Corporis ſui Præpoſitum, deinde Cubiculo voluit præficere, diplomate ſuo Cubiliarchum Reginæ, quæcunque illi ducenda foret, deſtinavit. Bis ſummam ei rerum moderandam commiſit. Tandem Cardinalis Henricus, inito Regno, eum Archicubicularium inſtituit, & à Conſiliis Statûs eſse juſsit. Cujus liberales ad eum literas, quòd honorificentiſsimæ ſunt, quemadmodum exſtant ſcriptæ, repræſento.

D. Henricus Rex omnibus haſce literas inſpecturis denuntiari jubeo, habitâ ratione eorum, quæ continuâ & inſigni operâ è Republica geſsit Franciſcus S A *Meneſius, à Conſiliis Statûs; ac perſpecto quàm de eâ bene meritus fuerit, quódque iis dotibus præditus ſit, quibus ornari debent, qui Regiæ Domûs meæ muneribus præeſſe debent; ac iis præſertim, quæ meam*

meam propiùs perſonam attingunt: & comperto, quòd quicquid ei à me injunctum fuerit, id omne ſummâ cum fide & voluntate præſtabit, pro meo in eundem amore & ſtudio Cubiliarchum creo, & omnia huic muneri ornamenta, decora, commoda, adnexa, ſingulari prærogativâ concedo, ut nihil omnino deſit eorum, quæ aliis Cubiliarchis conceſsa ſunt; aſsignatâ ei penſione centum dobrarum, &c. cum reliquis aliis emolumentis, quæ ex eo munere percipi ſolita, ità, ut ea illi, ſi fieri poſsit, meliora obtingant: &, harum virtute literarum, huic muneri præficio, eóque frui volo. Ac præcipio cunctis miniſtris, qui ei ratione muneris ſubſunt, ut ei prorſus obediant: & Gazæ meæ præfectis jubeo, ut in libris regalium rationum aſsignent eam, de quâ proximè diximus, penſionem.

Septembr. Anni 1598. ac deinceps. *Ac ille juratus recipiet quæ officii fuerint exactè fidelitérque præſtiturum. Olyſsipone* 9 *Octob.*680.

Præjudicium iſtud ſuum moriens Henricus judicio incorrupto confirmavit: nam & eum Matoſignii Comitem deſignavit, &

& inter Moderatores Regni, quos de jure in illud ſuccedendi, judices quinos delegerat, imprimis numeravit. Eum Philippus, inito Regno, deſignatum ab Henrico, Comitem renunciavit, & Cubiliarchum ſuum effecit, & charum in paucis habuit: & ad ſecretiora conſilia adhibuit. Propterea videri potuit Caſtellanis partibus magis faviſſe, quàm decebat hominem, qui judicis munere fungebatur, & ex eâ ortus familiâ, quæ libertatis amans, imò & vindex fuerat. Verùm Comes Matoſignius, utì ſapiens, cùm prævidiſſet omnem afferendi, ac ſtabiliendi Regni ſpem penitùs inciſam, ac illud unum afflictiſsimo Regno tutamen fore exiſtimaret, tempori magis ceſsit, quàm ſerviit: nec tam ſecutus eſt fortunam, quàm ei inſolentiùs imperanti ſuccubuit. Utì periti gubernatoris eſt tempeſtati obſequi; ità Politici viri tempori cedere; quod & *Brutini*, id eſt, maximè celſi, ac liberi judicii fuiſſe, Cicero, cui ea quoque ſententia placuit, datis ad Marcum Brutum literis, teſtatur. Amoris in patriam ſpecimen præbuit dum vixit: nam quicquid Caſtellani in admi-

nistrando Regno vel ex insolentia, vel ex ambitione, vel ex neglectu peccabant, ipse, nullo ad accepta ornamenta respectu, acriter reprehendebat, quòd prævidebat Lusitanæ Reipublicæ detrimento fore. Sanè quæ civibus nocent, beneficia dicenda non sunt: nec qui iis non respondet ingratus putatur, quòd non tam beneficium temnit, quàm patriæ deprecatur injuriam. Ab hoc studio profectum, ut nè vellet eorum consiliis secretioribus, quibus adhiberi mos erat, interesse; atque ab his paulatim se subtrahens, ab Aula demum excesit, causatus ægritudines contractas ex dolore mutati imperii, & servitutis invectæ: quo sanè ille, in suo secessu, contabuit, tertio anno postquam Lusitania in Philippi potestatem concesserat. Cujus mœroris versus adscripti, ipso autore, testes sunt

A tudo quanto desejo
Acho atalhadas as vias
Intentos e fantasias
Muy mao caminho me vejo

Se

Se do paſſado e preſente
O por vir ſe pode crer
Ja nam ha que pretender
Ja nam poſſo ſer contente.

Omnia quæ cupio fugiunt mea vota, nec ullo
Quo teneam, video jam ſupereſſe modum.
Multa agito mecum, curas & paſcor inanes,
Ut fruar optatis invia facta via eſt.

Si tranſacta tamen, ſi quæ præſentia currunt,
Certum venturi temporis omen habent:
Spes me nulla manet, nulla eſt ambire poteſtas:
Non ego mutato ſydere lætus ero.

Que de tudo quanto quero
Chego a tam triſte eſtremo
Que vejo tudo o que temo
E nem ſombra do que eſpero.

Deſenganome da vida
E fiz nella tal mudanſa
Que atê de ter eſperanſa
Tenho a eſperanſa perdida.

Omnia

Omnia quæ fuerant, quæ ſunt mihi chara, barathrũ
Triſte parant rebus ſanguinolenta meis.
Aſpicio quæcunque mihi paritura timorem;
Sed quæ ſpem foveat nulla vel vmbra manet.

Me cepere adeò miſeræ faſtidia vitæ,
Atque alio placuit vivere more mihi.
Spes me deſtituit, cunctos quæ lactat: habendi
Spem quoniam miſero ſpes quoq; ademta mihi eſt.

Cuydey hum tempo que avia
Na fortuna o que buſcava
E poſto que o nam dava
O meſmo tempo o daria.

Achey tudo differente
Fiquei desencaminhado
E como em deſpovoado
Ando perdido entre a gente.

Hæc bona Fortunæ quondam, rudis, eſſe putavi,
Quæ fuerant votis ſollicitata meis.
Si Fortuna bonis me nollet avara potiri,
Forſitan hæc olim tempora lapſa darent:

Inveni

Inveni mihi cuncta tamen contraria, cœcus
Erravi, certâ neſcius ire viâ.
Ceu profugus ſylvis, atq; abditus, invius erro:
Ac cives inter tectáque ſolus ago.

De que farey fundamento
Pois em nada acho firmeza
E pago ſempre em triſteza
Os ſonhos do penſamento.

Abrande eſta dor crecida
Vivendo em pena na morte
E eu por nam mudar-a ſorte
Nem mouro, nem tenho vida.

Quid certum firmûmque mihi, conſtánſve putabo,
Sorte mihi ſemper ſic variante vices?
Continuo mœrore luo, lacrymíſque rependo
Aſſiduis, mentis ſomnia vana meæ.

Mitior evadat dolor ingens, fletibus auctus
Nam vivus patior vulnera mortis ego.
Nè mutare queam ſortis diſpendia; munus
Non ego viventis nec morientis ago.

Vir memorabilis, & in quo prudentiam

& felicitatem Politici mirentur, quòd, cùm ſit difficile Principem ſummæ Reipublicæ *Succeſſori* placere, ille quinque Principibus, magna ſemper obeundo munera, gratus fuerit. Itaque cùm unus uni placere vix poſsit, quinque unum principes & amârunt & ornârunt. Quod ſi Galli tot laudibus (quarum erga ſuos intemperantes ſunt, erga externos parci) *Villaroy*, Secretarium ſic appellant, efferunt, quòd Regibus quinque operam dederit, & probârit: quibus efferendus erit Franciſcus SA, qui totidem Principes obſequio ſuo devinxit, non ſedentario & muto ſimplicíque officio, ſed variis graviſsimíſque, & quæ in luce verſantur muneribus: cùm prę ſertim *Villaroy* Reges ejuſdem Gentis & ſtudii, certè magìs incertè conſentientes nactus fuerit. Franciſcus SA in Reges & ſtudiis & ingeniis in diſpari ætate diſſimiles, nec omnes ejuſdem, imò unum infenſæ Gentis, inciderit. Nec ſe tamen Luſitani jactant de Franciſco, cùm Galli de *Villaroy* glorientur. Diſcant ex Luſitanis Galli externos non temnere, ex Gallis Luſitani ſuos non negligere.

Tantus

Tantus hic Vir, cùm dotibus abundaret, & thalamis (tertiam quippe uxorem duxit) caruit liberis. Itaque ad Fratris filium Domus, & Titulus, & Munus, jure hęreditatis devenerunt. Fuit autem Sebaſtianus Togato Fratri par animi virtutibus, ſtudiis diſsimilis; nam militaribus deditus, arma ſtrenuè fortitérque exercuit, primùm in Africa, deinde in Aſia, ubi multa & præclara virtutis documenta dedit. In Chaulenſi Obſidione arctiſsima militaria munia egregiè obivit. In aliis terrâ marique, cujuſmodi tum multa, ac periculoſa erant, expeditionibus ſtrenuam operam poſuit. Donec tot exercitus bellis Sofalæ prȩfecturâ donatus eſt. Reverſus in patriam cum Sebaſtiano Rege profectus in Africam infelici illi prælio interfuit; in quo omnia expertus, tandem in conſpectu Regis acerrimè dimicans cecidit: itémque alius ejus frater Pantaleo SA, quem cùm vidiſſet Rex equum in hoſtes ferociter adigentem, ac, ubi confertiſsimi erant, ſeſe acriter inferentem, ac ſpem omnem ferendi ſibi auxilii amputantem, revocare volens, hortatus eſt, ut equo circumducto,

ducto, actóque in gyrum, more Parthorum, imò & Pænorum, fugientis instar, pugnaret, ac eo pugnæ genere se subduceret; at ille honori potiùs consulens quàm obsequio, nec aliorum motus exemplo, alacriter respondit, *Equus meus novit terga sumere, non reddere*; eóque vehementiùs incitato, in medios se injecit hostes, à quibus, numero magis obrutus, quàm viribus oppressus, occubuit. Quid in hoc viro Brutorum, Deciorúmque laudatores desiderent? qui nè speciem quidem fugæ pugnando tulit. Maluit vel invito Rege honestè cadere, quàm ancipiti ex suspicione famâ vivere: etsi enim obedientia crimen tolleret, certè hominum judicia non tollebat.

JOANNES RODERICIUS SA MENESIUS.

Comite Mattosignio, Francisco S A, ad Joannem Rodericium S A, Sebastiani, qui frater Franciſci Comitis Matogſinii fuerat,

rat, Filium Domus rediit. Hic Penaguianorum Comitum primus fuit. Eum Patruus à teneris, Optimis & Tutoribus commendandum & Magiſtris inſtituendum dederat. Nôrat quippe quanti intereſſet idoneos Pædagogos habere. Et quidem contigit hęc ei, quam ſummam Maximi Principes felicitatem putârunt, optarúntque: Magnum quippe in utranque partem momentum affert diſciplina & exemplum Præceptorum, in ea præſertim ætate, quæ, tanquam cera, facilè ſubigitur & formatur. Nec magis Peleo, quòd Chironem Achilli; Philippo, quòd Ariſtotelem Alexandro; Theodoſio, quòd Arſenium Arcadio & Honorio Pædagogos dederint, laudi vertitur, quàm felicitati tribuitur. Franciſco licuit, quòd rarò evenit ante-actis ætatibus, ſuo tempore invenire. Nactus eſt enim viros duos Heroïcis Seculis dignos, quorum fidei Joannem committeret, quorum doctrinæ informandum traderet. Alterum Comitem Tarouquenſem, Pueri Avunculum: Alterum Michaëlem à Moura intimum ſibi amicum: illum ſplendore generoſæ virtutis ſanguini ſimilis clarum:

hunc togatæ prudentiæ, & politici judicii laudibus excellentem; quibus ſe ſapientiſsimis ętatis ejus Principibus ità probavit, ut ab iis in publicarum partem curarum vocatus, & arcana conſilia admiſſus fuerit: Nec illi in eo Alcibiadem, utì Socrates, pravo & diſſoluto ingenio puerum; ſed Scipionem, utì Panætius probæ, & ad omnis virtutis imaginem exprimendam idoneæ indolis invenerunt. Nec tam ei ad ſumma Rei bellicæ & forenſis ingenium & vis, quàm occaſiones annique defuerunt. A Philippo ſecundo Cubiliarchus creatus; & ut Luſitanorum animos ſpecie magnificentiæ conciliaret, ac properati beneficii gloriam aucuparetur, illi, nonum agenti annum, gerendi muneris onus impoſuit: idque re præſtari voluit, nè inanis titulus videretur prætextus ad gratiam. Quare cùm in conventu Regio à Bethleem appellato, in quo Regum conditoria ſunt, juſta fieri Sebaſtiano Regi juberet, ac iis adeſſet, præcepit Joanni Rodericio (nam Cubiliarchi munus id eſt) ut atratum ſibi pallium imponeret: & quòd puſillus pro ætate puer ad humeros minimè poſſet pertingere,

tingere, prudentiſsimus Senex, honorariæ, quæ propè erat, menſæ ſe applicans, inclinavit corpus, ac ſubjecit humeros, quantum ſatis viſum ad ſuî copiam faciendam.

Verùm nec eo favore, nec aliis beneficiis moveri potuit ad frequentandam Aulam, quam vacuam Luſitanis Regibus exilium putabat. Et quidem SADAS horror quidam & pudor inceſsit alienis Regibus miniſteria præſtandi. Itaque Comes Penaguianus, Aulę valedicens, Portum conceſsit: ubi privatus, ſed ſplendidè, vixit; venatu, quo plurimùm delectabatur, ſe exercens, & equos domans, cui maximè ſtudio deditus fuit. Brevi curriculum vitæ periodo abſolvit, anno ætatis trigeſimo quarto. Sed brevitatem ævi thori felicitate compenſavit. Nam contraxit matrimonium cum D. Iſabella Mendocia D. Joannis Almeidæ filiâ, Nepte ultimi Comitis Abrantii, Sorore D. Antonii Almeidæ, poſtremi ejus nobiliſsimæ Domûs hæredis; qui cùm Matriti ſine liberis mortuus eſſet, jus hæreditarium ad ſororem tranſmiſit: à qua nepos, qui hodie

hodie vivit, Joannes Rodericius SA Comes Cubiliarchus rectâ lineâ ritè accepit. Et quidem ſperandum eſt, ut hic in ampliſsimam hęreditatem in tempore veniat, in quo Almeidarum Heroïca Domus cum SADICA planè ſimili coaleſcat, ut ea Columnio, Meneſio, Almeidio ſanguine glorietur.

FRANCISCUS SA MENESIUS.

Hic ſecundus Penaguiani Comes, non hæres magìs honoris ac Domûs, quàm ingenii ac ſtudiorum patrui Mattoſignii Comitis fuit. Togatus amœniorum literarum, quibus ſe à teneris dedit, flores Togæ prętexuit; & palmatam inter nobiles reddidit: qui lauro indignas judicabant. Tantâ contentione animi, viriúmque incubuit, ceu ad eas natus, factúſque. Adeò illas oculis chariores habuit. Nam cùm hebetes, in tanta luce ingenii, haberet oculos, & aſsidua lectio aciem obtunderet, uſu ei librorum

brorum à medicis interdictum: ſed is abſtinere noluit, quòd diceret cum Magno Antonio ad Didymum, *malle ſe oculorum lumine quàm ſcientiarum luce carere; multóque ſibi pluris eſſe aciem mentis, quàm corporis*: adhibebátque exemplum Hieronymi, qui Didymum *Videntem Suum*, cùm cœcus eſſet, appellabat. Anno undeviceſimo uxorem duxit Dominam Joannam Caſtriam D. Joannis Gonzaluez à Camara, & D. Mariæ Caſtriæ Attouguiæ Comitum filiam, quæ Matriti in Aula Margaritæ Reginæ Auſtriacæ honorarium obſequium præſtiterat: inter virgines Aulicas & formâ & dotibus, ac præcipuè virtutibus excellens, quibus Luſitanam exiſtimationem auxit. Et quidem illæ in quocunque gradu ætatis, & ſtatu vitæ tam illuſtres fuerunt, támque ultra humanæ ſe naturæ terminos extulerunt, ut vix iis commemorandis par ſim; atque adeò ſtylus ipſe à ſcribendo reſiliat; imò & veritas ipſa ſibi quodammodo timeat, nè, ſi narrare velit, quòd ſupra fidem ſint, incredibiles videantur. Quare pauca & generatim malo dicere. Fuit illa deliciæ parentum;

tum ; ſplendor Regum ; Curiæ plauſus, admiratióque ; Virginum decus ; Uxorum exemplar ; cujus pura & exacta vivendi ratio vel monialibus rubori eſſe potuit ; ac omnibus, quicunque Deo placere velint, ideæ documentóque. In ea modeſta pulcritudo ; coërcita venuſtas ; caſtigata gratia ; gravitas compoſita ; liberalitas temperata ; charitas prolixa ; ingenium cum prudentia ; judicium cum acumine conjunctum. Has dotes aſſidua divinorum meditatio condiebat. Itaque vixit magnâ opinione virtutis, eámque ſanctè moriens auxit : ac nemo fuit qui dubitaret, quin ea ad ſuperos feliciter evolâſſet.

Cum Uxore pręſtante, ſummâ concordiâ, niſi quòd de obſequio inter ſe certabant, Comes vixit. Delectabatur magnopere manſuetioribus Muſis : callebat Latinam linguam : Italam non callebat modò, ſed rectè loquebatur : Gallicæ mediocriter ſciens erat : amabat Muſicen : cantu oblectabatur : exercebat ſe fidibus : bene gnarus pſallendi plura inſtrumenta muſica ſcitè pulſabat. Literarum amans, diſcendi cupidus,

pidus, doctorum Mæcenas, humanus erga omnes, facilis, liberalis.

Ubi *Luſitania*, excuſſo Caſtellæ jugo, ad libertatem rediit, & Luſitanum nacta Regem, priſcam adminiſtrationis faciem modúmque recepit, impulit eum patriæ amor, qui in ejus (etſi repreſſus) corde vivebat, in Aulam redire, optimo ſanè conſilio; ut ea ratione Filio Primogenito Regis lateri adhærenti (quòd hic in eo ſalutando præcipuas partes egerat) propiùs adeſse, & meliùs conſulere poſſet. Ac Regis quidem obſequiis ſe addixit: non tamen Cubiliarchi proprium munus exercuit, quod antea in Filium tranſtulerat; ſupervacaneum quippe exiſtimaverat. Quanquam enim illud pleriſque molliores ad Principes aditus, ac ex iis gratiam pepererit, contrà Comiti offenſiones & incommoda attulit. Nam cùm Philippus Caſtellæ Rex III Olyſiponem veniſſet, anno M. DC. XIX. voluit, ut eo apud ſe munere Comes fungeretur, ſine illa prærogativâ, quæ & lege & conſuetudine Cubiliarchis Luſitanis conceſſa erat; & quam fides in Principem, & familiaritas erga Cubiliarchos com-

commendabat, negavit ille, obiturum se munus truncatum & indecorum, eóque prorsus abstinuit. Non sine magno Castellanorum dolore, qui magnitudinem illam animi neglectui verterunt; cùm præsertim viderent non paucos multò minora quàm darentur ambitiosè appetere; Comitem verò honorem, utì putabant, idoneum, ac oblatum repudiare.

Adfuit Comitiorum dies in qua solent, veteri instituto, Cubiliarchi solenniter interesse: vocatus, invitatus, ut gravem illam ejus diei cæremoniam præstare vellet, noluit obire quod integro honore non poterat: cûmque multis urgeri se modis vidisset, respondit, *Æquum esse, ut ii acquiescerent excusationibus suis, quando ipse injuriam dissimulabat.* Non tamen destitêre Castellani, præscripto, edicto, imperio, minis. Ille causatus morbum, ad lectum [Asylum honestum] confugit. Victi aliud excogitârunt. Jussere ut ex propinquis unum suis nominaret, quem, eâ die, vicarium suî haberet: negavit opus esse ullo suorum eo die ad eam cæremoniam, cùm aliis ad alia munera opus non

non fuiſſet : qui ea obiiſſet, eum & illam obire oportere. Cùm reſponſum haud placeret, & inſtarent acriùs, aucto de induſtria morbo, omnem iis ulteriùs eundi, ac deinceps rogandi occaſionem præcîdit.

Obſervent nunc Politices ſtudioſi, quantum Amor, & ſtudium patriæ valeat; quippe quòd eorum poſteri, quibus Luſitanorum Regum tempore propoſitum fuit pericula quærere, ſéque morti objicere, uti hactenus memoravimus, cùm eam alienis Principibus obnoxiam viderunt, honores ipſos oblatos, & illatos, obtruſóſque reſpuebant; & illud altiùs pendant, qui in oblatis honoribus ſpeciem injuriæ non ferebant, iis non niſi gloriam cordi eſſe.

Itaque Caſtellani ſuccenſére, Adulatores pudefieri, propinqui metuere, omnes altitudinem animi admirari.

Anno inſequenti Cometam Comes diligenter inſpexit, accuratéque ſervavit : ſed minus ſibi ſervando cavit ab imminenti diſcrimine ; Aſtrologo illi ſub Tiberio haud-

quaquam ſimilis. Eventus docuit ſibi minatum. Nam Penichii in oppido cecidit ex feneſtra quinos tricenos pedes altâ : cúmque gravis caſus eſſet, & graviorem multò ſubjectæ petrę feciſſent ; incolumis tamen divino beneficio evaſit, nullo accepto vulnere, ictúve : tantùm ſenſit imprimi arctiùs pectori Lipſanothecam, in qua fruſtulum ligni Crucis incluſum (de quo ſuprà commemoravimus) perinde ac eo doloris leviſsimi ſenſu, vellet Deus cauſam miraculi ſignificare.

Aſſertâ Luſitaniâ Rex Joannes IV. Anno MDCXLII. Conſiliis Belli præpoſuit ; & proximo Hipparchum Reginæ dedit ; quę ille munera accuratè magnâ omnium approbatione geſsit. Deum piè ſemper & religioſè coluit, dum vixit. Sacrarum rerum amans obſervánſque. Divini Officii, quod vocant, ac Presbyterorum proprium eſt, quotidie penſum horarium ſolvebat. Ac utì Religioni deditus, ità ſanctè, omnibus munitus, in extremo illo agone, ad ſalutem præſidiis, mortuus eſt. Anno Chriſti MDCXLVII. Ætatis ſuæ

ſuæ XLIX. ipſo ſacro Aſſumptæ Virgini die.

Suſcepit numeroſam ex Uxore prolem: Domnam Mariam Caſtriam, dignam tantâ matre filiam: Domno Hieronymo Attaydio Comiti Attouguienſi nuptam: qui, cùm par ac ſimilis Uxori conjux eſſet, ſic eam tamen accepit, ut ſupra meritum ſuum diceret; ità amavit, ut amor intra cultum eſſet. Mortuæ ità indoluit, ut commori mallet, quòd nôrit quantum eâ amiſsâ perdiderit.

Domnam Iſabellam Mendociam Sancti Michaëlis Comitiſsam, quam paucis poſt conjugium annis infelix puerperium morte acerbâ eripuit: ad quam ità ſe illa comparavit, ut maturè mori videretur. Sanè omnibus acceptis ſacramentis tam religioſè eſt mortua, ut vel ſacris virginibus optabilis ea morien.li ratio eſſe potuerit.

Domnum Antonium SA: qui in quimatu extinctus, ab inſigni, qui tum aderat, viro, Jacobo Monterio Jeſuitâ, abſol-

vi

vi id ætatis nitè à culpis voluit: rogans enixè, nè se eo in discrimine desereret; perinde ac ad iter illud rectum, & breve suscipiendum, tam perito, & experto duce indigeret.

Domnum Emmanuelem SA; qui hodie in Collegio Sancti Petri Conimbricæ literis operam strenuè navat, magno profectu, ac modestiæ exemplo: adeò, ut ad magnos Ecclesiæ accipiendos, gerendósque honores ætas tantùm in eo desideretur.

Domnam Magdalenam Castriam Aulicam apud Reginam Virginem, Patre mortuo Comitissam Torrensem; ob cujus cum Torrensi Comite matrimonium mota est de Regio sanguine controversia: nam cum essent in eo gradu necessitudinis, ut opus esset facultate Pontificiâ ad ineundum connubium, clausula quędam in litteris Pontificiis (Bullas vocant) adjecta est, quę non nisi ad eos qui à Regibus descendunt, quadrabat. Unde exstitit controversia, *Essentne ii à Regio sanguine oriundi?* quæ hujus conficiendi libri causa exstitit: quam omnino, quod ad eam attinet, sublatam putamus. Nam quoad Comitem D. Joannem Mascaregnas conjugem, dubium non est quin præter Regii sanguinis rivos in masculum

maſculum alveum inductos, materno genere Norognicæ ſtirpis planè Regiæ prorſus ſit, necnon Sylveiricæ: quæ ſoboles nulli Nobilitate concedit, titulíſve.

Domnum Pantaleonem SA, natu minimum; qui illud ingenii ac indolis ſpecimen præbet, ut appareat nemini imparem fore. A puero literis operam dedit: ſed anno MDCLI Theodoſio Luſitanię Principe Belli curam ſuſcipiente, ac in fines Regni profecto, è re viſum ſtudia omittere & tranſire ad arma: quæ ille tamen ſic tractat, ut libros haud negligat; ſpémque injiciat utrâque laureâ potiturum; Fratrem Comitem Cubiliarchum in Angliam Legatum comitatus, non parùm & linguarum exoticarum notitiâ, & uſu rerum profecit.

Ex ſecundo matrimonio (quod contractum decentius viſum eſt quàm antea quæſitum) cum Domna Beatrice Limiâ, Domni Ludovici Lobo à Sylveira Filia, ſuſtulit

Domnam Mariam Franciſcam Sadam; quæ nullâ aliâ, præter Nobilitatem, indo-

lem, educationem, virtutésque, sibi dote relictâ; etsi innatæ illam statu amplissimo dignam efficiant, à Fratre Cubiliarcho Comite, quamvis minùs conjuncta, æquè ac alii habita est; atque adeò cum Comitissa Torrensi, in eodem, quo eam pater moriens reliquerat, gradu stetit. Et quidem non ferret fratris generositas, ut hæc inferiora sequeretur, cùm erga omnes sine discrimine Patrem se gesserit, gerátque, quin ab iis obsequia filiorum exigat. Itaque eam locavit Domno Antonio Castrio Bastii Domûs hęredi: qui cùm hodie Majoratum & Bona Coronæ possideat, haud dubiè Comitis quoque titulum, non modò meritis, sed jure debitum consequetur.

Ex his apparet Comitem Franciscum ex priori thalamo, præter Filium primogenitum Domûs suæ, titulíque hęredem, tres filias, omnes Comitissas habuisse; duas, quas vivus Comitibus Attouguiæ & Sancti Michaëlis locatas vidit; & tertiam, quam Comes Cubiliarchus Torrensi Comiti uxorem dedit. Ex secundo suscepisse aliam, quæ sanè

ſanè eodem titulo potiretur, contractâ neceſsitudine cum quatuor Familiis illuſtriſſimis, &, ut aïunt, Magnatum: cujuſmodi ſunt Attouguiæ, Sancti Michaëlis, Turrium, Baſtíque. Quod autem ad filios attinet, ſpem faciunt, ut quam alteruter rationem vitæ inſtituit, eâ ad gloriam nitantur, & ornamenta paria, & mereantur, & obtineant.

JOANNES RODERICIUS SA MENESIUS.

Hic, Primigenii jure, Succeſſor Domûs, dubiam ſpem ſuccedendi primis annis, brevioris vitæ indiciis, effecit. Verùm hoc refutavit unius ſummi & Aſtrologicâ & Phyſiognomicâ ſcientiâ viri, Leonardi Turriani judicium, cui cùm Comes Joannis Pater mœrorem, ob exiguam de vitâ filii ſpem conceptum, expoſuiſſet, eo accuratiùs inſpecto, ejúſque habitudine perpensâ, & cum alterius, qui ſanior & vegetior habebatur, collatâ, reſpondit, *Genethliacum*, inquit,

inquit, *agam; Geniturâq; perſpectâ dicam quod ſentio: ſiquid tamen ex Phyſiognomia licet conjicere, mallem hujus quàm illius, quem conſtantem putatis, nomine cenſum mihi parare.* Addixere ſidera conjecturæ: nam brevi æger convaluit; incolumis quinto pòſt anno deceſsit. In horoſcopo nonnulla deprehendit, quæ hodie reapſe præſtita videmus; utì & ſententiam inſcriptione quadam incluſam, quam rogatu Comitis Parentis Bernardus Rodericius, vir in paucis eruditus concinnavit, in ejuſdem Filii iconem incidendam: ea verò brevi periodo ſenſum multiplicem reddit; *Ad ſumma Reipublicæ natus.* Illud in ejus natali obſervatum, Deſignato concepti & collato cum editi fœtûs die, undecim menſes in utero matris fuiſſe: ut liber & immunis ab ultima & maxima ſervitutis conditione, quam experta eſt Luſitania, naſceretur, qui ejuſdem Libertatis præcipuus erat Autor futurus. Nam Rex Philippus III, cùm in id Regnum veniſſet, diſceſsit ex eo vigeſimâ tertia die Octobris, ac menſe Novembri ejuſdem anni die quarto natus eſt Joannes,

nes, ut produxiſſe natura puerperium in tempus liberum videretur, perinde ac nollet ſervituti obnoxium naſci, qui ſervitium patriæ depulſurus erat.

Patre vivo, Joannes Anno 17 Ætatis, ejúſque Soror D. Maria Caſtria in Attouguiæ Comitum Domo & ſumſêre & reddidêre connubia: ductâ à Joanne D. Ludovicâ à Faro, locatâ Hieronymo Attaydio D. Mariâ Caſtriâ. Utra beatiùs nupſerit, ambigas. Certè cùm utraque dediſſe alteri beneficium videri poſſet, neutra tamen credidit niſi accepiſſe. In ea contentione cùm par utrinque ſors exiſteret, utraque uſuram ſibi aſsignavit.

Undeviceſimum agenti annum Comes Attouguienſis, pro arctâ neceſsitudine, quæ ſibi cum illo & ſanguinis & thori erat, ingens ſecretum de Aſſerenda Patria, ac Rege, qui nunc regnat, Joanne IV. ſalutando prodidit; quæſivitque ex eo, quo in eam rem & ſenſu & animo eſſet: Illud reddidit reſponſum Joannes, quod & civibus & externis docu-

mento sit, quanti Patriæ Amor fieri debeat. Itaque & vernaculâ civibus, & peregrinâ exteris linguâ illud proferam. *Nam sou eu homem que quando se trata da liberdade da minha Patria com poucos ou com muitos nam seja companheiro nessa empresa. Non ego is sum, qui, cum de Libertate Patriæ agitur, sive paucis sive multis rem suscipientibus socium esse me negem.* Animosè tum: postea religiosè, pro occasione, respondit. Nam cùm ei Comes narraret, videri quibusdam libertatis Patrię studiosis omnino è re fore, certum quendam sacrorum Antistitem è medio tolli; hac eum sensum voce refutavit. *Que acsam em que era necessario ter a Deos propicio nam convinha executala com maõs sacrilegas. Ad quod opus propitium habere Deum oporteret, id sacrilegis manibus patrandum non esse.* Hac ratione tetra alia eodem die non pauca occupavit, nè fierent: quemadmodum & Antonii Correæ, cùm jam cædi cœpisset, necem avertit; protexítque duos amanuenses Chartophylacii Regii, sanè innocuos, & integræ famæ, Pantaleonem Figueira, & Balthasarem Rodriguez, nè in eo tumultu

multu obruerentur. Verùm ſuis illa ſe finibus Pietas continuit; nec enim abſtinuit à Michaëlis Vaſconcellii meritâ cæde (cujus ſanè ille Autor fuit) quem ſpirantem adhuc è feneſtra Palatii in ſubjectum forum plebe refertum projici juſſit; quæ in eum, ceu injurias à mortuo vellet repetere, impotenter, ac indignè ſæviit.

In creandis Moderatoribus, qui juſtis ſuffragiis ſummæ Reipublicæ ſunt prępoſiti, illuſtrem operam poſuit: nam & Archiepiſcopum Oliſiponenſem D. Rodericum à Cugna à principe Templo in Aulam deductum comitatus eſt; & Bracharenſi reſtitanti aperuit à quo ipſum diſcrimine antea liberâſſet; & in quod ſe conjiceret, ſi in detrectando ad quod à Nobilitate delectus erat, munere perſeveraret; quo eum in officio continuit, ac morigerum reddidit.

Vix dum clavum Reipublicæ ceperant, cùm magnum quid in animo volvens Archiepiſcopus Olyſiponenſis Rodericus, (quâ erat

erat imbutus urbanitate & doctrinâ) ad Comitem: *In his*, inquit, *eventibus ſemper SADÆ in Olyſiponenſi flumine magna patrârunt.* Reſpexit nimirum ad facinus Joannis Rodericii SADÆ Magni, quod ſuprà memoravimus: cujus quidem veſtigia nepos ab eo octavus, jam tum ac deinceps poſtea, hodiéque inſiſtit: Utì ego ſanè monſtrarem, ſi properanti vacaſſet, licuiſſétque. Igitur id Comiti munus injunxit, quod recordatione tanti facinoris, Heroïſque indigebat. Cujuſmodi fuerit ex prçſcripto patebit.

Os Arcebiſpos Governadores deſtes Reynos por aclamaſam da nobreza em auſencia do Duque &c. Ordenamos e mandamos a Dom Joam Roiz de SA e Meneſes filho maior do conde de Penaguiam que va aos navios de naturais e eſtrangeiros que eſtam no Porto deſta cidade: eos faſſa quietar, elhes notifique que ſe nam bulam, porque ſelhes nam farâ preivizo algum. E nas Torres hâ ordem pera os nam deixarem ſahir. Em Lisboa 1° de Dezembro 1640.

D. Seb.

D. Seb. Arcebiſpo Primas. R°. Arcebiſpo de Lisboa:

Archiepiſcopi Moderatores horum Regnorum à Nobilitate conſtituti, dum abeſt Dux. &c. Injungimus, jubemúſque Joanni Roiz SA Meneſio Primogenito Comitis Penaguiani, ut petat naves tum indigenarum tum exterorum, quæ in portu hujuſce Urbis ſunt, eáſque ſtare & in officio eße cogat, moneátque nè diſcedant, cùm nihil iis detrimenti inferendum ſit; confirmétque Arces maritimas exeuntibus obſtituras. Olyſipone Kal. Decembr. An. MDCXL.

D. Seb. Archiep. Brachar. Rod. Archiep. Olyſipon.

Res ultra imperium, animus ſupra diſcrimen fuit. Nam cùm eſſent in Olyſiponenſi tunc portu Turritæ roſtratæ ingentis molis duæ S.Balthaſar & S.Petrus, & aliæ, navis item roſtrata Caſtellanicæ Coronæ, ac duæ jam idoneam tempeſtatem nactæ ad ſolvendum ſe accingerent, Joannes, paucis in duas ſcaphas acceptis comitibus, ad naves acceſsit & mandata expoſuit, &

duarum navarchos in littus ſecum adduxit, eventúmque præſtitit. Iis repugnantibus ac invitò parentibus, & imperata intentis ac directis ſclopis, igneis ad ora admotis funiculis, audientibus.

Joanne IV Rege in ſolium evecto, Cubiliarchi munus obire cœpit: quod cùm & ſuâ & Regis voluntate geſsiſſet, eam apud illum nactus eſt gratiam, ut in Palatium cum familia migrare juſſus, intra id ſibi deſtinatis ædibus deinceps habitaret. Anno MDCXLIII. bellicæ expeditionis cauſâ Eboram Urbem Rege concedente, poteſtatem ſibi ab eo fieri poſtulavit in Regni fines migrandi, ac in aciem prodeundi: quam vel invito Rege ac contrà-nitentibus quibuſdam, propriis magìs quàm publicis commodis vacantibus, impetravit. Præclaro relicto cæteris comitantibus Regem exemplo, quemadmodum Rex ipſe palàm magnâ cum laude Comitis teſtatus eſt, illud expendens exaggeránſque, ut reliquis calcar adderet; quod literę ſubjectæ ſignificant.

Dom.

Dom. Joam Rodriguez de SA Eu El Rey vos envio muyto ſaudar. Recebi a voſſa Carta de 19 do corrente, e com ella os aviſos que vos pareceram convenientes a meu ſerviſſo de que fiz a eſtimaſſam que merece o amor de que procedem. E nem eſta proua nem a de vos irdes a eſſa Fronteira era neceſſaria para entender o comque me ſervis. Tudo deveis alem das obrigaſſoens geraes a boa vontade que vos tenho, que experimentareis em todas as ocaſioens, que ſe ofrecerem de voſſo acrecentamento, que procurarey creſſa aſſi como crece em mim o conhecimento que tenho do grande zelo, com que acudis a meu ſerviſſo. Do que vos parecer importa a elle, me ireis aviſando em Carta particular. Eſcrita em Evora a 24 de Agoſto 1643.

Rey.

Domne Joannes Roderici SA. Ego Rex plurimam Tibi ſalutem dico. Accepi Tuas, in quibus ea commemoras, quæ è re mea eſſe ducis.

ducis. Hæc pro amore in me tuo magni æstimo, ac in eodem loco pono. Nec verò hæc animi tui significatio, nec illud voluntatis tuæ specimen, quod suscepto in fines hostibus propinquos itinere præbuisti, necessarium erat, ad tuum in me studium comprobandum. Debes hoc quidem cum aliis Gentilitiis, communibúsque nominibus, tum voluntati erga te meæ: quæ, quoties ornandi tui occasio se dederit, planè constabit. Ac quò animi tui tot obsequiis præstitis majores in me radices agit cognitio; eò altiùs ornamenta crescent tua. Quicquid judicaveris ad rationes meas pertinere, de eo nè me certiorem facere privatis literis omittas. Eboræ. 24. Augusti. An. MDCXLIII.

Rex.

Ejusmodi argumenti est alia Regis ad eundem epistola; quam repræsento.

Dom Joam Roiz de S A. Eu El Rey vos envio muito saudar. Receby a vossa Carta com aviso de que chegastes a Olivensa e estaveis muito desejoso de terdes ocasiam em que mostrar

moſtrar quanto procuraveis obrar em meu ſerviſſo neſſa fronteira. E agradecovos muito eſta boa vontade: ce eſpero que com as obras que della nacerem me faſſais grandes ſerviſſos imitando aquelles de quem decendeis e em particular ao de quem tomaſtes o nome, que tanto obrou na defenſam deſta Coroa em outra ocaſiam muito ſemelhante a que tenho. Eſcrita em Evora. à 24 de Agoſto. 1648.

Rey.

Domne Joannes Roderici SA —— Ego Rex plurimam tibi ſalutem dico: Redditæ mihi literæ tuæ ſunt, quibus accepi te Oliventiam perveniſſe, & magnopere optare occaſiones nanciſci, in quibus erga me ſtudium cum hoſte bellando probare poſſes. Pro quo ſanè tibi gratias ago, ac ſpero fore, ut quæ ex eo naſcantur opera, ea commodis meis multum conducant. In quo officio præſtando haud dubiè imitaris eos, à quibus originem ducis; ac eum præcipuè, cujus nomen præ-

 fers,

fers, qui tot & tam præclara in tuendo Regno facinora edidit, aliâ huic, quam præ manibus habeo, pari ac ſimili occaſione. Eboræ. 24 Auguſti An. MDCXLIII.

Rex.

Quo autem modo eâ in expeditione ad fines hoſticos Comes ſe geſſerit, quid præſtiterit, quàm fortiter egerit, exhibitis aliis Regiis literis palàm facere operæ pretium fore duco. Eæ verò in multis, qui editi in lucem ſunt libri, circumferuntur.

Joam Roiz de SÀ. Eu El Rey vos envio muito ſaudar. Por aviſo do governador das Armas, e pelo que geralmente me referem as peſſoas que vem deſſe Exercito entendo o continuo trabalho e grande valor com que nelle me ſervis dando exemplo a todos para que deſprezerem os perigos, e animandaos, e conſolandoos em todas as ocaſioens que ſe vos offerecem procurando com todas as veras que faſſa cada hum ſua obrigacam muito como convem. Agradecouos o mais que poſſo

poßo tam particulares ſerviſſos e eſtay certo que ſempre ſerei muito Lembrado delles Mas porque me eſerevem que temerariamente vos meteis nos perigos de que eu polo muito que amo voſſa peſſoa vos deſeio liure principalmente quando a ocaſiam nam he a mais aperada me pareceo mandarvos que nas ocaſioens nam ſayais do lugar que vos ſinalar o Governador das Armas, advertindo que nam ſo vos nam terei a ſerviſſo o contrario mas volo mandarey eſtranhar com demonſtraſam: Eſcrita em Evora, a 18 *de Outubro de* 1648.

Rey.

Joannes Roderici SA. Ego Rex plurimam tibi ſalutem mitto. Ab Imperatore Exercitûs, & ab aliis qui iſthinc ad me veniunt, accipio, quantùm labores, quámque fortiter te geras, & quæ officii tui ſunt quàm accuratè præſtes, ità ut omnibus documento ſis, ad contemnenda pericula, eóſque, quoties ſe dat occaſio, & accendas & confirmes, id agens,

agens, nè quis officium ſuum prætermittat. Gratus quàm maximè poſſum adverſùs tam præclara obſequia ſum. Ac omnino tibi perſuade eorum ſemper me memorem fore. Verùm, quia ad me identidem ſcribitur, te ardua & periculi plena ſæpe temere aggredi, quibus ego, ob ſingularem mei in te amorem caput tuum obnoxium nollem, præcipuè, cùm res non urget, decrevi tibi præſcribere, nè, cùm ſimiles eventus contigerint, loco ac ordine tibi ab Imperatore conſtituto excedas; animadvertens non ſolùm mihi gratum non fore, ſiquid contrà feceris, ſed etiam ob id te à me per literas ſeverè eſſe increpandum.

Illa autem quæ literis ſignificantur diſcrimina ſunt, quibus ſe objecit in expugnatione Valverdii, Alconchelii (munitiſsima Caſtellæ ſunt oppida) & Villanovæ, ubi immemor periculi, memor decoris, in munitionem hoſtilem undique acriter defenſam ſtrenuè ſe intulit, cúmque ex edito, ingentis molis ſaxum devolutum eſſet, prçceps in foſſam propè ſine ſenſu dejectus fuit. Ac in toto Expeditionis tempore, ſive pedes, ſive eques pugnans militaria

litaria alacriter obivit munera, nec monitis, nec præscriptis contineri potuit, quin erumperet, ac extra ordinem pugnaret. Semper eos secutus est Duces, qui acriùs cum hoste dimicabant. Nemo unquam periculosum aliquid est aggressus, quin eum audendi socium habuerit.

Anno MDCXLIV. cùm obscuri de Montigiensi prælio nuncii Olisiponem perveniissent, cursoriis è vestigio equis adhibitis curriculo eò contendit, ut vel periculi consors, vel auxilii esset: nec indè sine certo Regis mandatu discessit. Eodem anno ad hosticum rediit: ac contigit, ut, cùm recens ac crudum ei vulnus esset, brachiis suorum exceptus in publicum prodiret, militésque ad pugnam hortaretur, ac tormentorum præfectis certiùs ferientibus præmia donaret. Illud ei antiquissimum fuit, ubi discriminis plus erat, ibi adesse, eóque durante consistere, nec nisi desinente recedere. Et quidem horum nonnulla adpositis literis significantur.

Conde Camareiro mor Amigo. Eu El Rey

vos envio muito ſaudar : como aquelle que amo. Polas informaſſoens, que tive das peſſoas que mais ſe ſinalaram na occaſiam do ſitio deſſa cidade entendi que ſem reſpeito â fraqueſa e falta de ſaude com que vos achaveis, e ainda com a ferida aborta, acudiſtes de maneira a voſſa obrigaſſam que nam largaſtes as armas, e a aſsiſtencia da muralha, batarias, eſortidas que ſe fizeram ao enemigo em quanto alî aſsiſtio. Boas demonſtraſſoens ſam eſtas do amor com que me ſervis, e do valor com que o ſabereis fazer em todas as ocaſioens que ſe oferecerem. Tudo vos agradeco muito, eo parabem que me dais do bom ſuceſſo: ſempre folgarei de o ver a todas voſſas couſas, e de as honrar e acrecentar muito como ellas merecem. Feita em Lisboa a 13 de Dezembro. 1644.

Rey.

Comes Cubiliarche Amice!

Ego Rex ſalvere te plurimum jubeo, pro meo in Te amore. Ex ſcriptis ad me plu-

rium

rium qui ſeſe in Obſidione iſtius Urbis præſtare cæteris ſtuduerunt, intellexi, Te, contemtâ valetudine, affecto corpore, ac debili, hianti adhuc vulnere, ſuſceptum à te militiæ munus ità geſsiſſe, ut non modò arma non abjeceris, ſed etiam pro mœnibus ſteteris: & oppugnationes hoſtium ſuſtinueris, & eruptiones in eos cum ſociis feceris, donec obſidio ſoluta fuit. Egregiæ quidem hæ amoris in me tui ſignificationes ſunt, ac indicia animi, quo, quoties occaſio ſe hujuſmodi dederit, in meî gratiam in hoſtes uſurus es. Gratificor tibi hæc omnia, ac quam mihi gratulationem habes pro felici exitu; hunc ego rebus tuis ſemper optabo, carabóque augeri, & ornari eas quemadmodum merita in me tua exigunt. Datæ Olyſipone 13 Decemb. MDCXLIV.

Rex.

Anno hujus ſeculi XLV. Regem Montem majorem uſque comitatus iterum eſt: unde Helvios urbem migravit, quò ad eum

eum Rex misit liberales literas, quibus eum Consiliarium rerum bellicarum delegit, cum jam antea, vivo adhuc patre, Comitem instituisset. Eo tempore magni momenti expeditio ipsi mandata, quæ tamen ob justas gravésque causas, omissa est. Ea cujusmodi fuerit ex subjectis literis patet:

Conde Camareio mor Amigo. Eu El Rey vos envio muito saudar. come aquelle que amo. He de tanta importancia a empresa de Albuquerque, que hora mando cometer, e tal a satisfassam que tenho de vos que ouue per bem dissimular as rezoens da Carta que entam vos mandei escrever sobre nam averdes de exercitar o cargo de mestre de Campo de hum terso que hora se ha de formar no exercito, e encomendar vos muito queirais exercitalo em quanto durar esta ocasiam. E espero ofassais de maneira que se alcanse obom succesſo que nesta ocasiam importa tanto por todos os respeitos. Escrita em Montemor. o 1 de Dezembro 1645.

Rey.

Comes Cubiliarche Amice!

Ego Rex multam tibi ſalutem impertio, utì quem valdè diligo. Expeditio militaris Albuquercium, quod oppugnari jubeo, tanti momenti eſt, tantúmque apud me valet exiſtimatio tuî, ut voluerim diſſimulare rationes epiſtolæ, quam tunc ad te ſcribi juſsi, eò, nè Tribunum militum ageres, quos in exercitu cogi agminis inſtar jubeo: quod quidem munus velim à Te geratur, donec confecta res erit. Ac ſpero fore, ut, dante te operam, hujus expeditionis, quæ certè ſummi momenti eſt, felix exitus ſit. Datæ Montemaiori Kal. Decemb. Anno MDCXLV.

Eodem anno alias ad eum literas dedit Rex, quibus ſignificat probari ſibi, quæ de belli ratione conſulat, ſuadeátque, & quæ in hoſticis finibus egerit, ac patrârit.

Earum exemplum eſt.

Conde Camareiro mor Amigo!

Eu El Rey vos envio muito ſaudar, co-

mo aquelle que amo. Recebeose a vossa carta de nove de corrente : e pareceme bem disponhais com o Conde de Castelmelhor Governador das Armas dessa Provincia o papel de que me tratais sobre o que sera necessario ordenar para a Primavera que vem : que convirâ se me remetta firmado pelo mesmo Conde e pelo meste de Campo Geral. E supostо queo exercito estâ recolhido podeis vir servir vosso officio, e descansar a vossa casa do trabalho que levastes estes dias de que pessoalmente quando chegares vos darey os agradecimentos que mereceis por tam particular serviſſo como me fizestes nesta ocasiam. Escrita em Setuval a 10 *de Dezembro de* 1645.

Rey.

Comes Cubiliarche Amice !

Ego Rex Salutem Tibi multam impertio, quemadmodum decet eum qui Te diligit. Redditæ sunt tuæ literæ 9 *hujusce mensis datæ. Placet, ut cum Comite Castelmeliorensi conferas*

conferas chartam de qua me consulis, cum eóque decernas, quid æquum sit in ver primum proximi anni parari. Et quidem conveniet, ut eadem charta ad me remittatur, subscripta ab eodem Comite, & Tribuno generali militum. Quoniam verò exercitus dimissus est, potes ad muneris tui administrationem redire, & Domum Te tuam recipere, ad colligendas recuperandásque vires militari labore affectas. Ego sanè coràm gratificabor, quod gratum mihi feceris, quemadmodum merita tua exigunt. Datæ Cetobricæ 10 *Decembr. An. MDCXLV.*

Rex.

Anno ejusdem seculi XLVI, Conquisitoris munere injuncto, in provinciam Interamnensem à Rege missus, delectum habuit idoneum, ac sine injuria : & multa, quæ in ea conquisitione duriùs fiebant, emollivit, totámque eam, quæ magnis est obnoxia difficultatibus, rationem, optimè expedivit : quemadmodum ex his ad eum ab Rege repetitis literis apparet.

Conde

Conde Camareiro mor Amigo!

Eu El Rey vos envio muito ſaudar, como aquelle que amo. Folguei de entender pola voſſa carta de 31 do paſſado o cuydado com que tinheis diſpoſta a leva da Infantaria e Cavallaria que vos mandei fazer a eſſa Provincia. Eſpero ſe conſiga com grandes utilidades de meu ſerviſſo, e particularmente com a brevidade que hâ miſter a Provincia de Alentejo. E alem deſta rezam deſeio vos tanto junto a minha Peſſoa que quiſera duraſſe voſſa auſencia o menos tempo que pudeſſe ſer. Eſcrita em Lisboa. a 29 de Abril de 1646.

Rey.

Comes Cubiliarche Amice!

Ego Rex plurimam tibi ſalutem dico, perinde ac ei quem valdè diligo. Libenter ex literis tuis ad me, 31 Martii datis, accepi, quanto ſtudio & curâ delectum Equitum peditúmque, quem à Te iſta in Provincia haberi volui, cures. Ac ſpero fore, ut is, utì eſt è re meâ, accuratè, ac pro neceſſi-

tate

tate Provinciæ Tranſtaganæ brevi fiat. Præterea tam te mihi adeſſe deſidero, ut velim, quàm primùm poſsis, ad me redeas. Datæ Olyſipone 19 April. A. MDCXLVI.

Rex.

Conde Amigo.

Eu El Rey. Vos envio muito ſaudar, como aquelle que amo. Avendo viſta a voſſa Carta de 21 do preſente em que me aviſais do modo emque hieis continuando as diligencias para abreviar e facilitar a leva da Infantaria, e Cavallaria que vos tenho encarregado: me pareceo dizervos que aprovo tudo o que advertis em ordem ao effeito deſto negocio tanto de meu ſerviſso, e que vos agradeſſo muito o zelo e bom animo com que obrais nelle: tudo he muy conforme com a confianſa que faſſo de voſſa peſsoa, e da prudencia e boas conſideraſsoens com que vos aveis em todas as materias de meu ſerviſso. Eſcrita em Lisboa 30 de April. 1646

Rey.

Comes Amice!

Ego Rex salvere te jubeo, ità perinde, ac te amo. Inspectis literis tuis ad me 21 hujus mensis datis; in quibus me certiorem facis de ratione ac modo, quem tenes in expediendo, & conficiendo peditum equitúmque delectu à me tibi injuncto, apud me statui, significare tibi quicquid super hujus rei administratione, ac exitu, qui è re mea prorsus est, monitum me voluisti, id mihi vehementer probari; & pro studio & curâ, quam impendis, gratias non vulgares habeo. Quæ geris, omnia certè sunt digna existimatione, ac fiduciâ de te meâ; natáque ex prudentia & accuratis considerationibus tuis, quæ nunquam in Te ad ea, quæ mei sunt obsequii, desiderantur. Datæ Olysipone 30 April. MDCXLVI.

Rex.

Atque hoc toto; & eo quod deinceps fuit tempore, cùm in Concilio bellicis rebus præpositó, tum in Regio cubiculo, tum aliis

aliis quæ geſsit muneribus indefeſſam aſſiduámque operam navavit Reipublicæ.

Anno 49. magnopere ſtuduit offenſiones eas removere, quę pacem Anglicam rumpere poterant; & multis, & magnis rationibus conatus eſt oſtendere, quæ ex illius ruptura ſecuta ſunt incommoda, ac detrimenta: ſed cùm altera pars viciſſet, ille repentè, nemine conſcio, in unam è navibus claſsis Luſitanicæ, quæ ad confligendum cum Anglicanâ portum obſidente, adornata erat, conſcendit, ac in ejus partem periculi venire voluit. Cujus conſilii, datis ad Regem & Principem literis, rationes exponit; Eas ſubjicio.

Se tivera aconſelhado à voßa Mageſtade o rompimento com a naſſam Ingreſa pouco fizera em ajudar meu parecer expondome aos perigos que com elle tiveſſe ocaſionado. Mas contradizelo como conſelheiro, e defendelo como ſoldado he claro teſte munho que dizer o contrario foi erro de entendimento, e nam da vontade, ou temor. Por

eſte

eſte ſerviſſo, quando nam tenha outro na lembranſa de voſſa Mageſtade lhe peſſo perdam do delicto de me embarcar ſem licenſa de voſſa Mageſtade, que ocaſionou tam grande diſculpa, eo ſeguro, de que ſe ficarmos com a vitoria ſe me nam pedirâ conta, e ſe for contraria a fortuna nam poderei receber caſtigo. A peſſoa de voſſa Mageſtade guarde Deos como ſeus vaſſallos auemos miſter. Lisboa 28 Julii An. MDCL.

Si Majeſtati Veſtræ author fuiſſem abrumpendæ cum Anglica Gente Pacis, parùm certè egiſſe viderer, ſi conſilium meum juvarem exponendo me periculis, quæ eo provocâram. Verùm diſſuadere conſilio, & armis tueri, id ſanè argumento eſt aliter ſenſiſſe, non aut timori, aut alteri vitio voluntatis, ſed mentis imputandum. Propter hoc militare officium (ut nullius alterius Majeſtati veſtræ in mentem veniat) ab ea mihi delicti gratiam poſtulo, ejus nimirum, quod eſt, Majeſtate Veſtrâ inconſultâ, navem conſcendere, & comitari claſſem, quod tamen juſtæ excuſationis cauſam habet, & me confirmat, ſi vin-

vincamus, ejus à me rationem exactum non iri; ſin contrà accidat, culpam non eſſe præſtandam. Servet Deus ac ſoſpitet Majeſtatem Veſtram, quemadmodum è Republica eſt. Olyſipone 28 Julii. Anno MDCL.

Deinde ad Principem.

O peſar que tinha de Ouvir avoſſa Alteza como conſelheiro empenhado a favor dos Principes ſenam podia ſatisfazer, menos que com o grande goſto com que vou aiüdar ſua fortuna, ou ſeguila como ſoldado, com o que voſſa Alteza veyo a ſer ſempre o autor diſta differenſa de affectos ocaſionados per ſeu ſerviſſo. Se deſta acſam e das que tenho feito por ſervir avoſſa Alteza, e á Coroa mereſſo alguma couſa peſſo em premio a Voſſa Alteza á diſculpe com El Rey N. Senhor e lhe lembre voſſa Alteza, a meus filhos e a Pantaleam a quem ſempre tive em lugar de tal. Deixando a todos a obrigaſſam e exemplo de ſervir avoſſa Alteza. Aquem Deos Guarde como o Reyno deſeia eo mundo eſpera. Lisboa 28 de Julho 1650.

Dolor, quo audiebam Celsitudinem Vestram, Consiliarii more, Principum partibus faventem, compensari non potuit nisi ingenti voluptate, quam percipio iis adhærendo, vel fortunæ adjutor, vel comes. Quo fiet, ut Celsitudo Vestra diversorum in alterutram partem affectuum quos obsequendi excitabat studium, author futura sit. Quod si aut hujusce, aut aliorum, quæ pro Republica gessi operum, præmii quicquam mereor, peto imprimis à Vestrâ Celsitudine, ut me coram Majestate sua excusare velit, ac in memoriam reducere liberos meos, & Pantaleonem, quem semper filii loco habui. Omnibus sanè documentum statuam, quo amore, ac fide Celsitudini Vestræ servire deinceps debeant. Quam Deus tueatur, ac servet, uti omnium vota exigunt, & Orbis universus exspectat. Olysipone 28 Julii An. MDCL.

Noluit tamen Rex præstari à Comite rei eventum. Itaque eum continuò vocari jussit, misso ad id Antonio Cavidio à secretis, Regi grato, Comiti Amico: additâ mandatis Epistolâ, cui repugnare non potuit. Eam, quòd Regis voluntatem expressam continet, placet subjungere.

Conde

Conde Amigo! Eu el Rey vos envio muito ſaudar, como aquelle que amo: encomendovos muito que logo que receberdes eſta carta vos metais na falûa que a leva, e me venhais falar ſem dilaßam, porque importa aßi muito a meu ſerviſſo. Eſcrita em Lisboa a 29 de Julho 1650.

Rey.

Comes Amice! Ego Rex plurimam tibi ſalutem dico, pro meâ erga te voluntate. Mando tibi, ut, cùm meas haſce literas acceperis, in hanc ſcapham, quâ perferuntur, deſilias, méque actutum convenias, Id quippe Officii tui, & obſequii mei eſt. Datæ Olyſipone 29 Julii An. MDCL.

Rex.

Anno LII. eum Rex inter Conſiliarios ſummæ Rei præpoſitos cooptavit: qui certè locus, præterquam quòd in Perſonam ob

ob merita quadrabat, muneris amplitudini debitus erat. Cùm verò ei Rex proposuisset, quàm è re suâ, atque adeò è publicâ esset Legatio in Angliam, eam provinciam suscepit, séque ad eam comparavit, non aliis aut propositis, aut postulatis à Rege præmiis, quàm arduis, quibus se objiciebat periculis, quæ præstari opus erat: ac illa detrectavit beneficia, quæ consuetudo necessaria effecit.

Deseruit munus suum Comes, Domum deseruit, & maris se certis incommodis, incertísque casibus commisit, quæ occurrentes tum causę difficiliora reddebant: adeò ut insuperabilia viderentur nonnullis, quos neque tot vincula retinebant, neque tam gravia rationum momenta tardabant, id ut muneris subterfugerent. Quo sit honore exceptus, quàm honorificè habitus, quàm se magnificè gesserit, quàm accuratè negotia tractaverit, quo eventu, quo fine, id Anglis commemorandum relinquimus, qui si liberiores nobis, certè illius æquè, ac nos amantes, observantésque sunt.

Eant

Eant nunc curioſi rerum indagatores, & conferant tempora, factáque, ac judicent, utrùm Comes Majores ſuos imitetur, æquétve. Et quidem videtur rebus à ſe geſtis veteris illius ætatis viros reddere, ac Ludovici Camonii ſententiam, cùm de Rege maximo Joanne I loquitur ad tempus noſtrum ſub Joanne IV trahere.

Pois ſe com ſeus deſcuydos e pecados *Canto 4. Oct. 17.*
Philippe em tal fraqueza aſsi vos poz
Tornevos voſſas forſas o Rey novo
Se he certo que co Rey ſe muda o Povo.

Quod ſi animi labes, atque otia lenta Philippi
Tam tenues nobis fecere ad prælia vires:
Rex novus iſte novos in bellum exſuſcitet ignes,
Sic ſolet in Regum populus ſe vertere mores.

Et quidem iis, quæ ſcripſimus, & ſcripſere alii, commemoratis, recognitíſque, SADICÆ Familiæ viri contra Mauros olim, & poſtea adverſùs Patrię hoſtes videntur bellâſſe. Ex quo verò eos in ſeriem redegimus, nemo reperitur, quin Coronæ & Reipublicæ maximè ſervierit: ac

primùm omnes ferme pro Patria pugnârunt. Pelagius SA; Joannes Rodericius SA; Magnus ille Triremium *O das Galês*; alter Joannes Rodericius SA ſecundus; Henricus SA. Joannes Rodericius SA tertius. Antonius SA. Franciſcus SA. Quidam in acie dimicantes cecidere: Ferdinandus SA, apud Alfarroubeiram: Sebaſtianus SA, ac ejus frater Pantaleo SA, apud Alcaſarem. Horum nonnulli, aliique præclara in Republica munera geſſerunt. Gazæ Regiæ præfuit Joannes Rodericius SA ſecundus, & Henricus SA. Summæ Reipublicæ & judicio de ſucceſsione in Regnum prępoſitus eſt Franciſcus SA Comes Matoſignius. Legationes ſuſceperunt, egerúntque Rodericius Annes SA Romæ, & Joannes Rodericius SA tertius in Caſtella. Regio lateri in Aula Cubiliarchi aſtiterunt Joannes Rodericius SA Magnus, cui illud munus, à Joanne I Rege inſtitutum, commiſſum eſt; quo functus ipſe dum vixit. Idem circa eundem Regem, & ejus filium, exercuit Ferdinandus SA. Idem præſtitit erga Principem Joannem & Henricum Regem, & Philippum ſecundum Comes Franciſcus

ciſcus SA. Eidem Regi cum eodem munere adfuit Joannes Rodericius SA, primus Comes Penaguianus: Idem retinuit, citra uſum, Rege Philippo tertio, & quarto, Franciſcus SA, ſecundus Comes Penaguianus. Aſſerto Regno Cubiliarchum egit, agítque Regis Joannis IV Joannes Rodericius SA: cui idem nomen haud temerè obtigit, quod habuit Joannes Rodericius SA, Octavus inter Majores Avus, ille Magnus, ille Triremium, *Q das Galès*, numero juxtà, ac nomine obſervando, cùm ei Regi aſsiſtat, cui Avus eſt octavus Joannes Primus Rex. Qui duo Reges eodem ferme modo Reges ſalutati, ac eâdem ratione officiorum & obſequiorum Domi, militiæque à duobus ejuſdem nominis, & ſanguinis viris apprimè culti, ut id non ſine numine factum putemus. De quo Anonymus quidam in Elogio hujus Joannis Rodericii SA, Legati in Angliam, Londinum recèns ingreſsi, eleganter ſcripſit. Cujus ego hìc partem, quòd è re, utì aíunt, natâ ſit, afferre volo.

Fatale huic Familiæ, Luſitanam *libertatem pulſis Externis Dominis aſſerere.*

Joannes

Joannes Rodericius Saa *unus & Princeps Majorum*
Joanni *primo*, Luſitaniæ *Regi, in recuperando Regno fidus comes, & fortis adjutor fuit.*
Terrâ, marique vindex ſervitutem depulit, & Pileum Patriæ reddidit.
Fortunatior Hectore, Epaminondâ *felicior*, Philopœmene *beatior*,
Camillo, *alteri* Romulo, *æqualis.*
Hic ipſe Legatus Joannes Rodericius Saa
Joanni IV *Regni Poſtliminiò vindicandi unus è præcipuis author fuit.*
Et conſilio bonus, & manu: & mente promptus, & enſe:
Drance *refutato*, Turno *aſſerto.*
Dextræ illius, vixdum pubeſcentis, armatæ, libertati Luſitaniæ *Regni gloria aſſignata.*
Egregium hoc Par Luſitania *edidit, omnino par: Imò & ſimile.*
